

## Werk

**Label:** Chapter

**Jahr:** 1923

**PURL:** [https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?251726223\\_0011|log26](https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?251726223_0011|log26)

## Kontakt/Contact

[Digizeitschriften e.V.](#)  
SUB Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen

✉ [info@digizeitschriften.de](mailto:info@digizeitschriften.de)

Accepi, amicissime et humanissime Gesnere, fasciculum disputationum et literas. Pro illo quidem rogo ut 1 flor. 18 crucig. solvas Gmelino cum plurima gratiarum actione. Novum accepi catalogum, ex quo nonnullas decerpsi desideratas. Ad Beneventum etiam parvulas addo literas. Perinde erit caeterum num Bernam, num Rupem par Berne res ad me mittas, fasciculos malo Bernam dari ad Zerlederum. Num priorem catalogum remiserim, quaeso mone, neque enim inter res meas invenio, et variae chartae perierunt, ut fere in his mutationibus fieri solet.

Rupe ut spero non infelix vixero. Proxima quidem magna ex parte paludosa sunt, sed ad leucae distantiam magna varietas est agrorum, pascuorum, pratorum, rupestris etiam proxima. Nil vulgatus hic Lycopodioides, frequentes etiam rupestres stirpes, Scorzonera, Umbelliferae variae, reperta etiam Lychnis, Muscipula, Punicas malos decerpsi de arbore Aquilegiae, et propius Rupem Yvornae nemus est Roris marini, aliudque, sed nunc a dilapsa rupe pene dirutum olivetum, Lauri vulgares et Indicae hic frequentes, et illae quidem pedis diametro crescunt. Ita spero magnam fore messem, ut de Valesia et montibus praealtis vicinis sileam, quos non inconsultos dimisero.

Rex Daniae duos amplissimos aureos nummos dono misit<sup>1)</sup>. In Physiologia nunc ut spero expeditius pergere licebit, siquidem certe matutina tempora mea sunt.

Musaeum Adolphi Friderici, aliquot disputationes Linnaei (Spigelia, Culina mutata) et alia Suecica <habeo> sed imprimis novi systematis naturae<sup>2)</sup> primum tomum, qui insignissime auctus species animalium continet. Si placet mitti poterunt.

Vale, Gesnere suavissime, meque ut soles ama. Roche die 27. Oct. 1758.

1) Friedrich V., König von Dänemark, dem die Elementa physiologiae gewidmet waren.

2) Stockholm 1758. 8. BA II, 279.

216.

(214).

Accipies per currum publicum, Gesnere humanissime, Linnaei quae nupera habeo, quorum princeps est Systema naturae. Tum duos Eichsfeldii catalogos, minime amissos, sed unice in hac rerum mearum conversione aliis chartis mistos.

Pergo plantas quaerere. Hac septimana in nemore fui, quod mero Rore marino constat. Heri Geum rotundif. minus, Thlaspidium, Cyclamen, Ribes, Primulam unifloram, hanc nunquam in Helvetia a me visam et florentem, cum pulchris Muscis reperi, vix 200 a publicis aedibus meis passibus. Sed etiam Cardamine impatiens hic est. Mira haec miscella est Alpinarum cum calidis rupes-tribus, Cornu aureo, Tulipa hortensi, Scorzonera Hispanica, Rusco, Oenanthe rigida, Macaleb, lutea Anonide. Alpinae solent rupes ad septentrionem conversas dumis obumbratas habitare, calidae etiam rupes, sed magis nudas et quocumque fore alio modo expositas. Laurus Yvornae nuper interiit 2' diametro. Laurum Indicum, plantatam equidem, inter rupes miseris cum ficis, Genista Hispanica, Balsamina, Rore marino. Ibi plurimus ille maximus lacertus viridis, qui miris fabellis de pedatis serpentibus occasionem dedit. Tempestas semper mitis fuit ad 60 et 64°. Plurima adeo ab hac regione spero, tum adjutabo me venatorum et rhizotomorum opera. Anemonem Alp. (peculiarem stirpem) neque absque flore mihi adtulerunt, et plura forte in Alpihus Valesiacis Italiam respicientibus deteguntur. Etiam id commodissimum accedit, quod publico nomine sylvas Aquilegienses meae curae commissas invisere teneor. Ita itinera Alpina ex officio molior.

Nummi Danici 80 ducatorum pondere fuerunt.

Nummos Tibi rependam, uti decet.

Vereor ut satis caro nova mea ad Te veniant. Tentabo si nimium pretium videtur currus publici, occasiones exspectabo, quae satis rarae sunt.

De monstro observationes Vestras cupio videre.

Iste Meyerus habet iconem Asteris Pulegii odore mihi destinatam, quam ob turbas abitus mei non potui recipere. Si habet, redime quaeso et mihi serva ad aliquam occasionem. Non adsuetus vix potuit ad botanicum soporem se accomodare.

Vidistine Buffonii Regnum animale, nempe quadrupedum<sup>1)</sup>? Habet tamen animalia aliqua non alibi descripta, maxime Americae aequinoctialis. Allionus audio purgantibus miliares febres expugnare

1) Die Bände IV—VII. 1753—1758. BA II, 365 f.

vult<sup>1)</sup>. Vale Gesnere optime et me ut soles ama. Roche die 13. Nov. 1758.

217.

(202).

Accepi heri fasciculum Noribergensem, aliquot vero prius diebus Tubingensem, Te curante utrumque. In rationes Tuas retuli 45 x. pro misero Meyero nimis leve pretium, etsi inutilis est labor flore vitioso. Seligmannus mihi debet 10 flor., quare quaeso deleat de Tuis rationibus 42 x. pro Meyero. Ex catalogis decerpsi aliqua, quae pro Tua humanitate si curas, rem facies pergratam. Zerletero poteris mittere. Etiam ego accepi cistam 100 ₰ plantis D. le Clerq plenam, quas expediam ut potero, adfixus lectulo ex podagra, misere interruptis meis in Muscorum collectione laboribus.

Haenii opus<sup>2)</sup> habeo ab auctore missum. Minus servile homini ingenium est quam quidem Swietenio. Historiam naturalem Corsicae legi, tenue opus pharmacopolae. Habet etiam plantas indigenas. Sed prodiisse video illustre opus de Arboribus Hamelii<sup>3)</sup>.

Ego quidem nunc a Physiologia invitissime manus abstineo. Prodeunt lente schedae tomi 2. Commentariorum de partibus sensilibus tomus III. sub prelo est, una vero prodibunt tomus 2. 3. et 4., quorum ultimus, uti primus, meus labor est, reliqui 2 sunt amicorum Caldani atque Fontanae.

Fontinalis, quae Bernae non floret, hic facillime cum capsulis reperitur. Etiam Lemna in his paludibus reperta est et certis auctoribus Capillus Veneris etiam, ego quidem nondum vidi.

Vale Gesnere optime et me ut soles ama. Roche die 2. Jan. 1758[9].

218.

(214).

Ex podagra cum convaluissem, nondum tamen obambularem in agros, febre catarrhali epidemica sum comprehensus, quae typo quotidiano quatuor paroxysmos continuavit. Miratus insolitam tantilli morbi pervicaciam, sumto cortice febriculam quidem amisi, caeterum podagrico novo paroxysmo sub febre latente sum adfectus, ex quo nunc decumbo. Acerba haec mihi accedunt, quae III. tomum Physiologiae morantur, quo quidem opere delector, ut tamen longitudinem nimiam non amem. Muscorum etiam hic pulcherrimorum

1) S. Allioni, Tractatio de miliarum origine, progressu et curatione. Turin 1758.

2) Die Ratio medendi in Nosocomio publico, von Anton de Haen, deren erste drei Bände bis 1758 erschienen waren. BA II, 540.

3) Du Hamel, De la physique des arbres, de l'anatomie des plantes etc. Paris 1758. 4. 2 vol. BB II, 217.



venatione me excludunt. Sed ferenda sunt ea inprimis quae desuper nobis inmittunt.

Libros a Tua bonitate curatos accepi. Cum vero Gallici nostri idiomatis bibliopola chartam nesciunt glutinare, adde quaeso hoc Tuis beneficiis, si alia quaedam mihi miseris, ut velis glutinata meo sumtu mittere possint.

Hic pueri Primulam odoratam, Cornum, Hortensia, Anemones genera, alia ejusmodi dudum adferunt. Gelu tamen satis acre est, absque ulla unquam visa nive.

Duas summas Eichsfeldio debeo, alteram l. 45, alteram l. 18, duorum fasciculorum enim me fecit participem. Quare etiam nuperos libros adjeci, et una curavi ut 7. florenos 53 x. Tibi numerari curaret Zerledeus. Si plura debeo, fac resciam.

Hamelium nondum vidi. Wachendorffii mortem<sup>1)</sup> doleo. Albini Adnotationem<sup>2)</sup> emero, ut respondeam, si necesse erit. Amarus vir est mihi nescio cur infensus. Benevenuti libelli<sup>3)</sup> ingrata mora est. Nihil ab eo audivi.

Plantulas puto accepisti et Nova Gottingensia.

Historia Corsicae etiam plantas aliquas habet, caeterum parum eleganter descripta. In Louisianae historia le Pagii<sup>4)</sup> etiam icones sunt quales Schaefferus a. 1485 impressit. Miror Gallos sordes ejusmodi nobis obtrudere. Non illepidus caeterum libellus est. Seligmanniana nondum a bibliopola Viviscensi recuperavi. In ejusmodi rebus ruri male vivitur, caeterum crede mihi valde feliciter, etiam cum minus firmo corpore. Oblectaveram me siccando paludes, quas glareas de torrente sumpta complevi, hanc terram operui, ita nunc frugiferum erit pratium. Eodem modo alias ruris mei regiones emendavero.

Stokarum convaluisse gaudeo.

Lecto cum retinear, legi topographiam mearum sylvarum. Nonginta sylvae, Alpinae plurimae, meae curae subjacent: insignis messis botanicae occasio, postquam convaluero. Ambulabam autem alacriter toto anno 1758, quo praeter ultimos dies a podagra liber fui. Adscendi etiam montes, non maximo labore, nisi quantum corporis pondus me moratur.

1) Eberhard Jakob von Wachendorff, Professor der Botanik und Chemie in Utrecht. Curt-Hirsch VI, 159.

2) Von den Annotationes anatomicae erschienen acht Bände von 1754—1768, 1758 erschien der vierte Band. BA II, 129.

3) De hydrophobia et aceto vini dissertatio. BC II, 435.

4) Le Page (du Pratz), Histoire de la Louisiane etc. Paris 1759, 3 vol. BB II, 484.

Imprimuntur Commentaria de irritabilitate et sensibilitate, quorum tomi erunt quatuor. Caldani epistola, II Jani Planci et Fontanae Roveretani accedunt ex M. S. Gallica omnia, sed latine dabo in meis Opusculis anatomicis, quorum faciunt tomum II. Physiologiae T. II lentiuscule procedit ex typographia, etiam lentius Disputationum practicarum vol. VII, tandem omnia. Clerici Genevensis herbas mihi heredes communicarunt, quas paulo ante morbum remisi. Inerunt tamen aliquae memoria digna, Carduus inprimis, qui veri Asphodeli radice fuit, nova fuit species. Nitidissime et pulcherrime siccatae sunt.

Vale, Gesnere amicissime, et me ut soles ama. Roche die 31. Jan. 1759.

219.

(215).

Accepi, amicissime Gesnere, libellos. Nunc scribit Wargentinius alterum tomum prodiisse Systematis, plantas adeo: prodiisse etiam systema fossilium aliud, non sine acri in Linnaeum censura, prodiisse denique Löflingii iter. Ea ad me vere redeunte mittentur, ego vero continuo Tecum communicavero.

Ad Beneventum literas reddo. Exspecto quae priora misit et quae posterius. A. de Haen tertiam partem Rationis medendi misit, multo minus ille senilis ingenii quam quidem Swietenius, minusque invidi. Bernae Seraphinum viatico dato dimiserunt.

Paulatim ut fieri solet convalesco, haeret autem, diu pedibus plumbea debilitas, ut cubiculo me continere sit necesse. Itaque lego, fere supra modum.

Turbat circulos meos Wetstenius bibliopola, vult emendem Delices de la Suisse. Plenum opus dare non suscipio, varia velim emendare et spuria. Quare egebo ut quidem video Leeuwiano opere. Id quaeso cura; oportebit autem Tiguri glutinari chartam, etiamque legari Stück Cj. Inter hos Gallos Germanicos libros ligari est impossibile, adeo turbant omnia et convertunt. Nescio etiam num Bluntschlii Vestri opus<sup>1)</sup> necessarium sit ad statum Tigurinum emendandum. Si est, velim addas. Nummos curabo continuo, importunitatem bonus excusaveris.

Hic Primulae uniflorae et odoratae, Cornus Anemonaque florent jam a medio Januarii, secundumque aquas omnia virescunt.

---

1) Hans Heinrich Bluntschli (1656—1722), Memorabilia Tigurina, das ist: Kurze nach alphabetischer Ordnung eingetheilte Erzählung der merckwürdigsten Sachen der Stadt und Landschaft Zürich etc. Zürich 1704, neue vermehrte Auflage 1742.

Subinde curru excurro ad specularios agros, quos pergo siccare, complere glareis terraque utili. Incedere enim vixdum licet.

Exspecto Haarlemensium Diarii<sup>1)</sup> T. III et IV. Multa ibi in rem Tuam si videtur Tecum communicabo. Historia Louisianae habet figuras plantarum rudissimas, plane Schaefferianas. *Millieria* narum stirpium finem exspecto. Legi *Buxbaumium*. Unit *Schmiedelius* plantam aphyllam cum meo *Sphagno* maximo f. in centro ciliaribus. Sed forte legisti dudum. Opera mea lente proserpunt, et quae lentissime, *Fontanae* epistola advenit, qua *Laghio* respondetur, editur una. Maligniorem nunc sentio hujus *Laghii* animum, quam quidem credideram. Sed egregie repressus est *Caldano* et *Fontana*. *Anonymus Gallus* misit mihi sat bonum opus de febribus intermittentibus.

Haec cum scripsissem, amicus mittit XI T. *Leeuwii*. Numne plures prodierunt et quonam pretio? Nondum nunc necesse est mittere. *Mire* laudat *Haenius* vires *Uvae ursi* ad calculum variaque urinae vitia. Hic in montibus vulgo provenit, valde tamen verna plantula.

*Hyacinthi* florent. Ego vero currere erepo quantum licet, ne penitus crura contrahantur, quae mihi videntur esse plumbea. Non absque tarsi oedemate.

Tu vero vale, *Gesnere* suavissime, et me porro ama.

Literulas additas *Tuae* bonitati commendo.

Rupe die 9. Febr. 1759.

220.

(216).

Mutuo dedit amicus XI tomos *Leeuwii*, desunt nuperi. Quare si velles, carissime *Gesnere*, redimere XI ad XIV, deinde qui sequentur, et illos 4. ligatos *Stüdt* *Ch.* et glutinatos duobus voluminibus mihi cum illis *Scheuchzeri* codicibus curare, gratissimam rem faceres, tum *Bluntschlinum*.

Paulatim convalesco et serpo, et quod serpam gaudeo. Nam certe cum tanta inertia morbum hypochondriacum non evitarem loco solitario, in quo aeternum libris incumbo. Nunc quando licebit discurrere, omnia illa symptomata evanescent, quae sensim subrepebant. Libros *Suecicos* et *Haarlemenses* communicabo.

*Emam Swietenium*, necdum vidi.

Nihil singulare accidit. Sensim imprimuntur mea, sensim inquam, cum charta typographum destituat. Ego perinde sensim

1) „Nova Academia hoc anno (1755) in Hollandia coaluit, cujus Acta sunt: Verhandelingen uytgegeven door de Hollandtze maatschappij der wetenschappen te Haarlem.“ BA II, 508.

per morbum interruptus in tertio versor volumine. Milleri habeo 42 numeros, quos si placet Tecum communicabo, credo opus fini vicinum esse.

Voltarius mire se litibus minime necessariis impedit, tum quod velit demonstrare Saurinum minime furem fuisse, tum ut ostendat Grassetum quemdam bibliopolam Crameros fraudasse<sup>1)</sup>. Quoties contra ipsum aliqua eduntur, id vero frequenter fit, fuit ille et ad universos fere homines literas dat, quibus contra hostes suos debacchatur. Comica historia est, et subrideo, quando genus irritabile natum et Vestrorum exemplo confirmari video, et hujus archipoetae. Nosti me dudum eam personam deposuisse, adeo sincerior judico.

Hiems pergit mitissima. Vix infra 40 gradum interdiu liquor descendit thermometri. Hodie sero zeam, deinde reliqua ordine frumenta. Magno cum emolumento credo me adtribuissse ad siccanda prata, stagnum infimo loco effossum, in quod fossae per pratum ductae conveniunt. Mirum est quam celeriter hae fossae aqua plenae aquas exhalant, quando in stagnum continuantur. Hiems blanditia fuit, ut omnes labores in emendandis paludibus hoc anno susceptos perfecerim, rivos fossos, glareas convectas ad aliquot cortium millia et in uda demersas etc. His solor solitudinem meam. Gesnerus Warsaciensis egregiam de durae m<atris> insensibilitate observationem suam in homine factam misit, Gotttingensis nostri filius<sup>2)</sup>.

Omnia quae in legatione Lausannensi statuimus cum Bonstetten viro ill. confecta sunt, et leges de prelo prodibunt. Dispersi per universam regionem Gallicam novem candidati cum salario, qui sublevant ministros. Revisae feriae. Professores novi additi etc. Nunquam autem hos homines in Germanorum assiduitatem transformes, quam gentem eo magis amo, quo magis cum aliis confero.

Vale Gesnere amicissime et me ut soles ama. Roche die 19. Febr. 1759.

221.

(217).

Rectiuscule redeunt vires, Gesnere amicissime, et quotidie discuro. Reperi nuper Bryum Polytricho cap. tereti simillimum, ni

1) S. Ein Briefwechsel mit dem Herrn von Voltaire in Kl. Schriften III, 355 ff. Der Pfarrer Joseph Saurin war in der Schweiz eines Diebstahls überwiesen worden. Grasset war Angestellter im Verlagshaus von Bousquet. Über die Beziehungen Hallers zu Voltaire s. Hirzel I, 392 ff.

2) Karl Philipp Gesner (1719–1780), Sohn des Philologen Johann Mathias Gesner. Er war bis 1754 in Polen als Arzt des Prinzen Sapiéha. Seine Arbeit ist in Bd. III der Hallerschen Collectio gedruckt. Gurlt-Hirsch II, 540. BA II, 568.

fallor novum. Caeterum omnia hic virent et florent. Croci in pratis immensa vis est, reliquae plantae paulo vulgatiores, Cardamine IV ubique ad muros nascitur, Cornus et Thymelea Lauri f. in rupibus et dumetis.

Multum debeo bonitati Tuae de Leewio. Non tamen accedam ad opus nisi absoluto III. tomo Physiologiae.

Corrigam quae mandasti vitia, et gratias ago.

Tertiam nunc epistolam Voltarii accipio <sup>1)</sup>, paulatim tamen tepescit ejus ira.

Plurimum laboro semper in emendandis pratis. Multa spero ab ingenti fossa, quae 1100' continebit fimi. Eo colligo latrinas, multo luto distemperatas, et omne quisquiliarum genus, et destruendis destino juncis. Sed etiam Triglochini maritimi Lotique altioris et Coronillae flore vario sationem tentabo. Quid stagnum possit in prato siccando, nunc maxime experior. Videtur hactenus fossas eo tendente pluvia aqua repleri, forte quid celerius ad sedem exhalationis aqua de terra vicina trahatur. Profundam paludem vere immobilem, glarea mistam, consevi avena et zea, et eventum exspecto. Collem spinis Genidum, serpentum cloacam magno labore mundavi, cum qua lapidosus sit, consevi Onobrychide. Arbores serui plurimas. His me delector, ut de literis surgam, valetudinemque teneam.

Lentissime, magno meo taedio, mea omnia imprimuntur, sed Bernae meditantur collectionem thesium s. disputationum, in me contulerunt physicas. Si id consilium locum habebit, quaeram a Te, qui plures procul dubio possides, velis nonnullas optimas Tuarum indicare, ut aut conquiram aut Tuae debeam bonitati. Verum juvenes optimi subinde cepta deserunt.

Ita vale et me ut soles ama. Roche 16. Mart. 1759.

222.

(218).

Tres literas Tuas coram habeo, Gesnere optime, ad quas unica praeter morem meum respondeo. Afui Bernae per dies 16 occasione consulatus. Redux Rupem langueo ex nescio qua nidorosa cruditate cum diarrhoea perpetua et aliqua febre, atque inappetentia a duobus retro nycthemeris, quae mora mali, mihi quidem insolens accedit. Quae misisse Te indicas accepi omnia, et humanitati Tuae grates habeo scripsique ad Zerlederum, ut nummos restituat.

1) In den Kl. Schriften III, 369 vom 24. März 1759 datiert, was nicht stimmen kann.

Voltarius necdum desiit mihi suis querelis esse molestus, neque animus hominis mihi placet.

Bernates perinde praedia omnia fere ad rusticos siverunt transire. Ego quidem impetrata venia plurimum in nostra rura emendando elaborabo.

Schobingeri fata doleo et de Schinzio Tuo gratulor.

Non credo consilium Tscharneri adëo celerem exitum inventurum. Utitur ad universae rei gestionem Kochero, erudito viro, sed supra omnem modum pigro, qui totum perdium in lecto transigat. Si vero volumina Tua commodare posses, possent certe melius describi. Nova literaria pauca habeo, neque nunc per morbum, qui vires vehementer dejicit, fere meminero. Mea utique paulo expeditius eduntur quam solebant. Schreiberus novis tutelis evocatus ad me nuper literas dedit. Cum Breitkopfio lites cogitat neque *Almagestum* suum<sup>1)</sup> pergit edere. Somisius de tribus feminis, quae sesquimense mire oppressae in tugurii parte supervixerunt, libellum edidit<sup>2)</sup>. Zinnius meus ex lento morbo aegrotat, periturus, ut ex literis Werlhofii auguror, magno anatomes et rei herbariae detrimento. Virtutes viri Gottingenses non satis agnoverunt.

Vale, Gesnere amicissime, et me ut soles ama. Roche 13. April. 1759.

223.

(219).

Gratum est quod adgnoscam Te nummos accepisse, Gesnere optime. Ex Suecia nihil advenit hactenus.

Si credis utilem esse mihi posse catalogum Heideggeri, mitte per ocium. Roncalli epistolam perdebilem legi.

Multum his diebus discurri. Reperi *Astragalum claviculatum* (abunde), *Scorzoneram angustifoliam*, *Erucam sativam*, *Orchidem cimicis odore*, *Limodorum*, *Trifolium glomerulis albis*, *Sorbum terminalem*, nobis rarum, *O. anthrop. feminam*, hanc copia maxima, est enim hic pervulgare, purpuram conglomeratam (hic Rupe) et alia non vulgatissima. Nunc nondum ineunte Junio faenum sero. Inde montes nonnullos adibo sylvasque Alpinas, ex officio ista.

Salis evaporatio felicissime procedit. *Aquilegia* secure ex-

1) Der erste und einzige Teil des *Almagestus medicus* erschien in Leipzig 1757. BA II, 219.

2) Ignazio Somis, Conte di Chiavrie (1718—1793), Professor in Turin. Rationamento sopra il fatto avvenuto in Bergamoletto in cui tre donne, sepolte fra le ruine della stalla . . . sono state trovate vive dopo 37 giorni etc. Turin 1758. Gurlt-Hirsch V, 462. BA II, 551.

halatio absoluta est, 50'' utraque. Salis aliquod compendium subest et ligni et laboris, et sal omnium praestantissimus. Interim ad declarandam historiam exhalationis in universum haec eadem experimenta inserviunt.

Respice quaeso, mi Gesnere, ad Tuum Coronillae minimae exemplar, quod habes ex Valesia: num vere sit illud Coronillae Hispanicae genus. Dubium movebat Garcinius, neque meum exemplar satis integrum est. In horto plusculae Punicae florent dabuntque fructus.

Lente opera mea procedunt, satis tamen in respirationis historia profeci, quae cum voce tertium volumen faciet. Inter aliquot demum menses aliqua meorum prodibunt.

Redemi tabulas Enumerationis, ut absoluta praefectura id opus possim dare recusum, insignissime auctum et correctum.

Vale et me ut soles ama. Rupe die 29. Maj. 1759.

224.

(220).

Nondum accepi, Gesnere ornatissime, fasciculum Noribergensem. Erit forte Bernae. Interim ego ex itinere Alpino heri redii. Conscendi periculosum satis M. Ruines, deinde formosissimum culmen Furculae (Forclettaz). Reperi fere Alpinas illas solitas. Rariores sunt Orchis praecox illa barba luteola Ruppil, Pulsatilla apis f. vernalis, Musci aliqui, Sonchus caeruleus.

Conscensus Montis les Ruines, quem pedibus omnino moliri ob periculosam viam oportuit, aegre satis me habuit, nimis utique corpulentum. In alias Alpes me hac aestate recipiam.

Miratus sum inter meas segetes crescere Cerinthen.

Du Hamelium tandem accepi, tum ejus de Rubia opusculum<sup>1)</sup>, et Marcandii de Cannabi<sup>2)</sup>.

Exspecto posthuma Duverneyi, quae Senacus misit.

Nihil fere in meis operibus proficiunt. Physiologia sensim erepit.

Hisce diebus absolvo librum VIII. de respiratione.

Albinum nondum accepi. Si respondendum est, fiet summa cum cautela et significatione honoris adversus invidum illum praecceptorem ad caelum a me evocatum.

De Coronilla, quam olim in Valesia credideram me legisse, nolebatque veram esse Hispanicam, puto ad Te me scripsisse, ut relegeres num omnino vera Hispanica sit. Meum exemplar satis

1) Du Hamel, Mémoire sur la Garance et sa culture etc. Paris 1757. 4. BB II, 217.

2) Marcandier, Traité du Chanvre. 1758. 12. BB II, 471.

malum vix sufficit ad examen accuratius. Tu vero vale et me ut soles ama. Rupe die 15. Jun. 1759.

225.

(225).

Properandum duxi, ut literas accipiat Stokarus. Itaque fasciculum mitto praeceptis ad Collinsonium literasque ad Monroum juniorem, qui Londini degit, si forte possint Schinzium adtingere Tecum. Podagricus insultus evanuit, multis vero itineribus ad rem salinariam pertinentibus vehementer sum fatigatus, Gesnere optime, nunc quidem per quietem convalesco, proxime novo itinere M. Javeranz, Ovonna, Chapnise, Richod, Laveran, Enzenda petiturus. Soleo equis alternis ob molem corporis conscendere montes, descendere nunc fere in traha. Ita vires sufficiunt. Ponderum enim corporis ad 240 l. civiles increvit malo pasto homini.

Maximam voluptatem capio ex stirpibus quas subinde novas reperio, aut cives, aut plantas. Inter novas cives et plantam Hesperidi silv. longiss. Dill adfinem iam nuper repertam refero et Astragaloidem niveo flore, cui alae bifidae sunt. Copiosa etiam Pirola uniflora et Filix Alp. florida, rariss. reperta est, et Linaria Bellidis f. foliis superioribus multifidis, et Coronilla nostra Valesiaca.

Si mittes Plumeriana, adde quaeso Haselquist et Störkii<sup>1)</sup> scripta. Uvam ursi siccata curabo. Herniaria est satis abunde, in castro St. Tryphon forte ad libram.

Lego Hillii invidiosum vegetabile Systema<sup>2)</sup>. Omni in pagina addit novum hoc esse et a se detectum. De multis dubito et de perpetuis vasorum 5 conicis fasciculis in omni planta reperiendis.

Vellem resciret Stokarus, an aliquis in Anglia commercium plantarum siccarum mecum alere cuperet, sic in Belgio. Ego quidem magis indigenas amo quam exoticas, cum illae ad nostras declarandas sint utiliores. Omnes meas curas refero ad Enumerationis emendationem<sup>3)</sup>.

226.

(221).

Aliquos libros desideratos hic adnotavi, Gesnere amicissime. Vellem pro Tua humanitate, ut glutinatos et charta rudi (Pappe) compactos mitteres. Nemo in vicinia mea glutinare novit.

1) Anton Stoerck (1731—1803), damals erster Physikus im Bäckenhäusel; später k. k. Leibarzt. Gurlt-Hirsch V, 546.

2) Outlines of a system of vegetable generation. London 1758. S. BB II, 357.

3) Der Brief muß vor dem 17. Juli 1759 geschrieben worden sein, denn unter diesem Datum berichtet Haller an La Chenal, er hätte neulich den Mont Enzeinda bestiegen. S. bei Christ, S. 35.



Noribergensia et a Bergenio accepi et gratias ago. Heideggeri catalogum remitto. Quotidie aliquas plantas reperio, nuper Pervincam latifoliam copiose circa Yvorne, adhuc florentem, deinde Lemnam ad lacus ripam, ubi spero me Plantaginem monantham reperturum. Intra octiduum novum iter molior secundum fontes torrentis Grande Eau, nam Avansonii nunc omnes fontes sum persecutus. Omnes hi torrentes ex crustis glacialibus nascuntur, nivis testes perpetuae.

Elaborabo certe in opere meo emendando. Quotidie a Schmiedelio molestor. Erit respondendum. Incipio novas icones sculperé, Orchidum potissimum.

Inter meas nuperas est *Alsine* petalis integris foliis pulposis setaceis viridibus linearibus linea exaratis obtusiusculis, aut nova aut nunquam mihi visa.

Manettum remittam, ipse tandem suam epistolam misit.

Quae nominas etiam ad me missa sunt.

Etiam praeceptor meus I. G. Duvernoi nuper diem obiit supremum<sup>1)</sup>. Rödererus laetis conditionibus Gottingae viret, sed patriae forte amor aliquid poterit<sup>2)</sup>. Quaerunt undique successorem Zinnio nec inveniunt. Hahnus<sup>3)</sup> detrectavit.

Burmannus misit IX. fasciculum Plumerianum.

Intra paucas demum septimanas mea de sensibilitate prodibunt. In Physiologia sensim pergitur. Aves subinde ad organa vocis disseco. Non sunt Ferrenianae<sup>4)</sup>.

Vale et me ut soles ama. Rupe die 23. Jul. 1759.

Haec cum scripsissem, humanissimae Tuae advenerunt datae d. 25. cum Stokarianis. Ecce quae sincerus, ut quidem decet, respondeo. Nunc video Sauvagium divisiones alias fecisse, quas vocat Reaumurianas, et omnino 87 gradus ponere inter O et aquae ebullientis calorem, ut quidem ego in adversariis receperam. Caeterum aliquantus 87. fahr. gradus semel 88 habui, et forte plures fuerunt, neque enim semper licuit in solem ardentissimum per hortum me conferre.

Ego Gagnebinio 120 imp. obtuli, ille quidem nescio quae ultra desiderat, quae ego omnia praestare nequeo, tot liberis, modica praefectura. Deinde etsi optimus est venator plantarum, minus

1) Er starb als Arzt in Amstetten in Württemberg. Gurlt-Hirsch II, 250.

2) Der Göttinger Geburtshelfer und Nachfolger Hallers auf dem Lehrstuhl der Anatomie und Physiologie Johann Georg Roederer stammte aus Straßburg.

3) Der Utrechter Professor Johann David Hahn (1729—1784).

4) Antoine Ferrein (1692—1769), Prof. der Anatomie in Paris, dessen Experimente über den Kehlkopf in der Hist. de l'Acad. des Sciences von 1741 erschienen waren. BA II, 253.

bene tamen eas conservat. Cras in montana proficiscor. Magnam segetem fero hoc anno Alpinarum vulgatorum, habeo etiam rariores aliquas.

Nunc de Stokaro<sup>1)</sup>. Gottingenses credo Boehmerum Wittebergensem<sup>2)</sup> vocabunt. Si juniorem volent virum, commendavi duos, cum nihil de Stokaro scirem, potissimum Willichium Northeimensem<sup>3)</sup>. Id unum superest, si meam sententiam rogabunt, ut faveam Stokaro, id quidem omnino fiet, et cupide quidem et sincere.

Cum libris, si quos mihi emes, mitte quaeso Sauvages de Putredine<sup>4)</sup>, de Convulsionibus<sup>5)</sup> et Medicinam Sinicam. Reliqua legi. Suecica Amstelodamo Francofurtum abierunt mihi destinata. Ea Tecum communicabo, quando advenient.

Iterum vale et me ut soles ama. Roche die 30. Jul. 1759.

Gratum faceret Stokarus, si anatomicas disputationes colligeret, imprimis Luchtman de Saporibus<sup>6)</sup>.

227.

(222.)

Paucos aliquos libellos adhuc ex Vestris desidero, quorum addidi titulos, Gesnere humanissime.

Vogelium<sup>7)</sup> non credo botanices professorem fore. Boehmerum Wittebergensem avent vocare.

Zerletero 6 bz. solventur. Non urget Bergeniana.

Valde ex improvise 18. Aug. scribit Gagnebinus se velle nunc iter ingredi. In hac sera anni senescentis conditione nolui suscipere et ad proximum annum distuli.

Non de Alsine egi, sed de Lychnide vera, Silena, petalis albis quadrifidis rupestre, quam legi in M. Chapuisse.

Ex eo tempore multas adhuc stirpes raras detexi, Centunculum, ad lacum abunde nascentem, cum Gr. dactylo arundinaceo, Cistum cynoglossi flore caeruleo, Absinthii Alp. et Millefolii Genipi

1) Joh. Georg Stockar (1736—1809) studierte in Zürich bei Gesner und in Leyden. Er praktizierte in Schaffhausen und besaß ein schönes Naturalienkabinet. S. Mägis, Die Schaffhauser-Schriftsteller. 1869, S. 90.

2) Georg Rudolf Bömer (1723—1803), Professor der Anatomie und Botanik in Wittenberg. Gurlt-Hirsch I, 502.

3) Der andere war der Basler Werner de La Chenal. Christ 33 ff.

4) Die Dissertatio de putredine, Monspel. 1759. 4 ist von Simon Philippe Biessse. BA 561.

5) Theoria convulsionis. 1759. 4. BA II, 303.

6) Peter Luchtman, de saporibus et gustu. Leid. 1758. BA II, 552.

7) Rudolph Augustin Vogel (1724—1774) war 1753 als Professor e. o. nach Göttingen berufen worden und wurde 1760 zum Prof. ord. ernannt. Pütter I, 158; II, 45. S. a. Brief 321.

species aut hybridas, quas nondum extricavi, Cassidam Alp. magno flore, hanc abunde, Thysselinum angustifolium, non lactescens, omnino a priori diversum, quod vulgo nobis provenit, Doronici speciem, sed malignum exemplar, foliis laciniatis, aliquas earum in hortum serui.

Torquet me bibliopolae tarditas. Tertium volumen Physiologiae absolvi, necdum secundum de prelo prodiit, neque mea experimenta, quibus duae tantum schedae desunt. Nunc maxime fasciculum Suecicum accipio. Continet minuta varia, solum grandiozem Loeflingii Iter Hispanicum.

Vale et me ut soles ama. Die 28. Aug. 1759.

228.

(223).

Nescio quomodo factum est, Gesnere amicissime, ut vehementer dolore flexoris digitorum utriusque subito afflictus, deinde sugillatione sanguinis secundum eam tendinem effusi, totis 14 diebus usu manus dextrae caruerim. Nunc reconciliato membro, tamen debili, ad humanissimas Tuas revertor. Uxoris carissimae casum doleo, qui Tibi procul dubio multo terrori fuit. Bene est quod convalescit.

Librorum quos misisti pretium aveo nosse, et de Tschudio gratias ago, etsi is quidem parum ad rem meam facit.

Benevenuti libri grati advenient.

Gottingam Boehmerum Wittebergensem vocant, an sit obsecutus ignoro. Schedulam emendavi.

Praecipua scribendi ratio fuit, quod centurio de Melzing Brunsvicensis ad me scripserit de furto ab homine Embaracensi, suo famulo, commisso. Ille qui cum plerisque Germanis universam Helvetiam pro uno eodemque pago habet, ad me grandes literas dedit. A Te nunc, amicissime Gesnere, unice requiro, velis mihi significare, cuinam magistratui Embaracum subsit, et ad quem oporteat eas literas mittere. Reliqua justitiae ejus praefecti permitto.

Negligentissimus Darnay Commentarios absolvit, sed desiderantur icones. Physiologiae deest praefatio. Quamprimum ea obtinero, mittam utraque. Absolvi emendationes et additiones aliquas ad meam Enumerationem, quarum specimina duo in diario Bernensi<sup>1)</sup> novo edam. Nuperis excursionibus reperimus Popanum flavo fl. abunde ad rupes Vallesiae e regione Roche, Gramen elegantiss. nunc non a me evolutum, Centunculum denuo, alia quaedam. Gramina et Muscos altero anno recensebo. Opus ipsum Bernae edam cum Tscharnero.

1) Die Sammlungen und Nachrichten von der Landwirtschaft, die von 1761 an erschienen. BB II, 512.

Aegra manus me destituit. Vale, suavissime amicorum, et vale.  
Roche die 15. Oct. 1759.

229.

(228).

Ad duas epistolas Tuas hac una respondeo, Gesnere amicissime. Zoomorphosin legi, et remittam quo minimo cum sumtu. Sculptoris ars admirationem meretur.

Epistola ad Beneventum est diploma academicum.

Mirror de D. a Beroldingen, mihi penitus ignoto.

Dux de Roxburgh <sup>1)</sup> penitus convaluit.

Uvam ursi collegi pro D. Tissot. Poterit primo vere haberi, nunc ea loca profunda nive teguntur. Nam in gypseis rupibus M. Dansex inprimis ea copia provenit, ut possit a sylvarum custodibus facile colligi.

Nummos ut oportet curabo.

Libri levia dona sunt, addam quae deficiunt tabulas proximo fasciculo.

Böhmerus Wittembergensis vocationem Gottingensem repudiavit. Ea devoluta est in D. Büttnerum Berolinensem. Trillerum <sup>2)</sup> audio pessime valere, ut spes Böhmero proxima sit primi loci. Sed etiam Ludwigii valetudo vacillat.

Ego, Deo sint grates, recte valui, etsi quotidie fere prata mea invisī, in quibus stagnum et rivos ad aquationem paravi, utilitatis ut videtur summae. Aqua gravidatur fimo caballino. Quas profundas paludes glareae obrui, deinde terra, eas nunc videas laetissima segete virere, cujus parem non in tota regione requiras. Glareae injecta terra virgo desertae arae, huic limus ex stagno reside. His nugis meam alo solitudinem.

Denique sub prelum dabitur et tomus III. Physiologiae et t. I et II. Opusculorum anatomicorum, quorum aliqua ex Gallico sermone convertit Zimmermannus.

Altisidiorenses suae societati literariae me adjunxerunt.

Si cupis satis bonum librum Borlase de naturali historia Cornwall legere, misero. Etiam animalium dictionarium accepi, spissum et satis magni pretii opus, caeterum collatitium.

Vale et me ut soles ama. Rupe die 7. Jun. (?) 1760 <sup>3)</sup>.

1) James Ker Innes, Duke of Roxburgh (1738—1823) oder John Ker, Duke of Roxburgh (1740—1804) Dict. Nat. Biogr. XXXI, 47, 51.

2) Daniel Wilhelm Triller (1695—1782), Professor der Pathologie und Therapie in Wittenberg. Gurlt-Hirsch VI, 8 f.

3) Die Datierung ist unsicher. Jedenfalls scheint der Brief vor Juni geschrieben zu sein.

230.

(224).

Magnus fasciculus quem Bernam miseram die 8. Januar. hunc inter locum et Bernam intercudit, itaque literae meae eo die ad Te datae pariter perierunt, Gesnere clarissime.

Löfflingium acceperam.

Adamsonius si ex conchis aestimabitur, non is erit qui Linnaeanum systema evertit, venator potius plantarum quam legislator aut censor. Ad Beneventum reddo epistolam.

Senacus est, cujus sit liber anonymus de febribus intermittentibus, qui sub finem a. 1758 Genevae prodit<sup>1)</sup>.

La Chenalius meo sumtu a. 1760 petit Mendrisium stirpium causa<sup>2)</sup>.

Ab aliquo tempore diris et ut credo podagricis dentium doloribus laboraveram. Pergo tamen in cerebri historia et multum sum in comparata anatome. Avibus in ex. sunt sex ventriculi cerebri manifestissimi, quatuor humanorum similes, duo in thalamis opticis, qui toti cavi sunt. Nam olfactorius, quem in homine eo deducere non possis, in avibus satis commode in nares et pituitariam membranam continuatur, mollis semper et corticalis substantiae aemulus.

Sed typographum habeo lentissimum, et nisi aliter agit omnino mutare cogar.

Credunt Buttnerum Berolinensem<sup>3)</sup> Gottingam aditurum. Ego quidem dubito, qui hominem novi.

Bonnetus pro evolutione novum meditatur opusculum.

Poematia mea sub prelum redduntur Gottingae<sup>4)</sup>.

Hugo Hannoveranus, vir venerabilis, cancro faciei consumitur lentaque morte perit.

Haenii quartam partem accepi.

Si, sed alia occasione, Noribergam ad nostros scriberes, faceres pro Tua humanitate, si juberes fasciculum a Popowitschio ad Trevium missum mihi curari continuo.

Vale et me ut soles ama. Rupe die 1. Febr. 1760.

231.

(225).

Accepi duas literas Tuas, Gesnere humanissime, tum fasciculum a Popowitschio: forte et alia, quae Bernae sint. Ego vero ex gravissimo filiae natu maximae Albertinae morbo pene oppressus

1) De recondita febrium intermittendum natura. Genev. 1759. BA II, 159.

2) Vergl. Christ S. 37.

3) David Sigismund Büttner aus Chemnitz (1724—1768).

4) Die neunte Auflage.

diu non de alia re cogitavi. Febris fuit remittens, cum stupore incredibili capitis et virium prostratione. Nunc sensim convalescit, et hodie corticem sumit, cum remissio hodie et heri fuerit evidentior.

Uvam ursi hoc vere curabo.

Botanica Gottingenses in Buttnero, Ludolphium etiam filium<sup>1)</sup> laudant. Burmannus fil. misit dissertationem de Geraniis<sup>2)</sup>, quam ni ab ipso habes Tecum communicabo. Basterum etc. accerso.

Si filia convalescit, ad reddendas rationes Bernam die fere 10. Martii me confero, et ibi haerebo per mensem.

D. Chatelain Novavillanus<sup>3)</sup> describere cogitat Corallorhizam et constituere. Mearum emendationum pars 1. Bernae prodibit apud Tscharnerum<sup>4)</sup>, altera Turini sequetur in societatis Actis, quae ibi privata convenit et egregia dedit opuscula. Orchidum compendium cum Basileensibus communicavi. Physiologiae pars III. sub prelo est, in IV. lente progredior: etsi enim hic otium sperabam, id nuper morbis meorum et amicorum adventu valde interruptum est. Avium interim cerebra et organa vocis passim dissecui. Miror quam negligenter se in his Parisini gesserint.

Poematorum meorum Gallica versio emendatior prodit<sup>5)</sup>.

Senaci aliqua opera curante Tissotio prodibunt, qui vir nescio quomodo nostri factus est amicissimus: ut pene [Swietenii] <Haenii> et Albini odia compenset.

D. Jacquin, quem Imperator in Americam, Antillas Insulas et continentem terram miserat, cum lapidibus et nonnullis plantis reidiit, dubitatur num quidquam sit editurus<sup>6)</sup>.

Vale, Gesnere optime, et me ut soles ama. Rupe 19. Febr. 1760.

232.

(226).

Filia nunc paulatim convalescit, Gesnere humanissime, meque immani cura levat.

Fasciculus Noribergensis advenit, misit etiam stirpes nondum a me evolutas Cl. Allione.

1) Hieronymus Ludolf (1708—1764), Leibarzt des Kurfürsten von Mainz, Verfasser chemischer Schriften. Gurlt-Hirsch IV, 58 f.

2) N. L. Burmann, de Geraniis. Leid. 1759. BB II, 489.

3) Junger Mediziner, der von Haller als Begleiter von W. de La Chenal, 1760 zu einer Alpenreise berufen wurde. Christ S. 55.

4) Der erste Teil der Auctaria et Emendationes ad Enumerationem Stirpium Helveticatum erschien 1760 in Basel.

5) Bern 1760. 12. Im gleichen Jahr erschien auch eine neue Auflage in Paris

6) Jacquin veröffentlichte zwei Bücher über amerikanische Pflanzen. BB II, 490 f.

Non Hiberniae sed Cornubiae historiam naturalem Tibi mit-  
tam. Catalogum Bergeri ardeo videre.

Hanc epistolam Bernae perficio, quam Rupe sum orsus. Ad  
reddendas enim rationes me in urbem contuli, ubi per mensem  
haerebo non absque detrimento temporis. Muscos tamen nostrates  
aliquando venabor. De epigenesi Wolfii dissertationem accepi Be-  
rolinensis <sup>1)</sup>. Contra eam vero sententiam pro evolutione scribit  
noster Bonnetus <sup>2)</sup>. Du Hamel nuper suam de periosteo sententiam  
defendit.

Physiologia mihi pergit edi. Opusculorum vero editio ad me-  
liora tempora a bibliopola, satis phlegmatico homine, differtur.

Gottingenses haerent in botanicis neque promovent, Buttneri  
responsum exspectant, deinde Ludolfii.

Ita scripseram, quando procella ex N. W. spirans heri d. 16.  
p. m. maximum aedificium gradulatorium 800' longum prostravit.  
Haec ruina, quae curas meas requirit, compulit me, ut Rupe ma-  
neam. Interim mittet Tibi Zerlederus tomum Argenvillae, Borlase  
hist. of Cornwall <sup>3)</sup>, Burmann de Geraniis.

Amputati itineris mora plantas vernas hic jam vigentes re-  
quiram. Vale et me ut soles ama. Rupe die 17. Mart. 1760.

233.

(227).

Serius respondeo, Gesnere optime, quod per aliquot septimanas  
Bernae abfuerim, ad aliqua negotia evocatus, deinde quod nuper  
Rupem redux filias meas dudum elocatas mecum habeam, ut multa  
pars diei inter confabulationes pereat.

Fasciculum accepi rerum Suecicarum, inter quas erit quod  
Tecum communico, dissertationes potissimum Linnaeanae.

Ludwigii definitiones <sup>4)</sup> nondum vidi, misit vero Allionius icones  
perpulchras Hieraciorum ad suam Enumerationem <sup>5)</sup> pertinentes.

1) Kaspar Friedrich Wolff (1733—1794), der Begründer der modernen Ent-  
wicklungslehre. Die Schrift „Theoria generationis“ war seine Doktorarbeit. Gurlt-  
Hirsch VI, 316.

2) S. seine Considérations sur les corps organisés, où l'on traite de leur  
origine, de leur développement, de leur reproduction. Amsterdam 1762. S. 2 vol.  
BA II, 359.

3) William Borlase, The natural history of Cornwall etc. Oxford 1758.  
BB II, 474.

4) Die Definitiones plantarum, die G. R. Boehmer 1760 neu herausgab.  
BB II, 284.

5) In den Mélanges de philosophie et de mathématique de la Société Royale  
de Turin Bd. II, 1762 gab Allioni ein Verzeichnis der Pflanzen des Turiner bo-  
tanischen Gartens-heraus. BB II, 452.

Ego paulatim ad stirpes redii et nuper per viciniam aliquantus obambulavi, praeter priora tamen vix offendi quidquam praeter dubiam quandam Salicem, quae in Rhodani insulis abundat, Frut-tacum pisaturum ibi vidi. Opera mea lente repunt, ego quidem cerebri et nervorum anatomen absolve, typographus pulmonis. Lentum bibliopolam offendi et negligentem etiam sui commodi.

Morgagnus demum scripsit atque adeo vitalis superest. Tomum 1757 academiae nuper accepi, multa habet Guettardiana. Butt-nerus, olim meus discipulus, Berolinensis, Gottingam advenit bo-tanices professor, Vogelius praxeos. Zimmermannus vocatus munus declinavit<sup>1)</sup>.

Insolita hic veris est facies. Habemus fragas maturas, Rapun-culos spicatos albos aliasque plantas aestivas. Intra 40 dies semel pluit, cum maxime per paludes torfaceas oberrarem. Prata sicca pereunt, humida valde vigent quam maxime, quae ex paludosis culta reddidi. Sevi Triglochin majus et Coronillam fl. vario, ut utilitatem oeconomicam experiar: eventum exspecto.

Nihil valde interest num paulo serius Ludwigius mea scripta accipiat. Exemplar de irritabilitate nunc nescio annon destinatum sit Benevenuto, an Bassano Romano.

Curiosa est et utilis observatio quam suppeditas. Raritas est in ductus arteriosi origine ex subclavia, qui ex trunco aortae solet oriri. Nam arteria pulmonalis naturalis est aorta descendens ejusque praecipuus truncus.

Vale et me ut soles ama. Rupe die 5. Maj. 1760.

234.

(229).

Historiam Cornubiae exspectabo, amicissime Gesnere. Linnaeana opuscula continuo absolvam, ut mittam. Nempe oportebit Berna volumen Disputationum Botanicarum ad Te mittere, quod ibi reli-gabitur. In ditione enim hac Gallice loquente nemo chartas glu-tinat. De Hagenbuchii valetudine doleo. Accepi etiam ingratum de morte archiatri Hugonis nuntium.

Ab aliquo tempore minus recte valui, ob summam forte fati-gationem, cum per praecipites vias d. 31. Maji pedes iter facerem. Inde podagricus insultus et oedema pedum. Utrumque nunc mi-nuitur.

Thora hic abunde provenit multis in montibus. Sed nova civis vicina Rupis est Onobrychis minor flore albo, diversa planta.

1) Zimmermann hätte die Berufung sehr gerne angenommen, wie das aus seinen Briefen an Haller hervorgeht. Er wurde jedoch übergangen. S. bei Ischer, 1909, S. 130, 133, 135 f.



Cerefolia rariora etiam abunde legi et tres Petasitis species, et Salicem, quam olim Tibi debui, folio Myrtilli, et hoc spontaneum Ornithogalum, illud ditius.

Ita paulatim crescit suppellectilis.

Spero etiam a D. la Chenal et Chatelain insignes fructus, qui per Gotardum Mendrisium adeunt, aliquamdiu ibi mansuri. Forte et Gagnebin aliquid detigit.

Ad Gmelinum quaeso l<iteras> cura.

Deditne Schmiedelius de Blasia et Jungermannia disputationes <sup>1)</sup>? Ita intelligo Allionium.

Exspecto Emendationes meas Turinenses tertiumque fasciculum hoc anno addo.

Ex Anglia quaedam exigui momenti accepi praeter Transactiones a. 1758, sed neque prodiit quidquam.

Ita vale et me ut soles ama, Gesnere optime. Rupe die 17. Jun. 1760.

235.

(230).

Nuperi labores nostri non penitus absque fructu fuerunt, Gesnere humanissime. Lunaria fol. oblongis, haec in vicinia, Cotinus, iste ad rem tinctoriam Genevam avehi solitus, Astragalus flavus rectiunculis, ex Sibiria advehi solitus, Erica foliis triquetris, quam nondum evolvi, a vulgari certo diversa, Scirpus non satis mihi notus, aliaeque, ad quas in ordinem redeundas proxime accedo.

Cl. de la Chenal iter, ut non inutile, non fuit ea qua speraveram felicitate, quod res adinet Italicas. Oxys lutea, Fumaria lutea, Erica, Genista scoparia, Celtis, Paeonia minor, Mandragora (haec ex fama), Rhapontici genus squamis argentatis, cum paucis aliis praedam absolvit. Sumtusque satis magni fuerunt. Caeterum optime siccatae sunt, ut ex iis videbis, quas Tibi juvenis optimus mittet. Saepiuscule excurro, sed paulatim video exhauriri viciniam meam. Anno 1760(!) si Deo videbitur Penninum montem partemque adibo Valesiae.

Exspecto quotidie volumen botanicarum disputationum quas Tibi curabam. Nullum habeo in vicinia bibliopegum, unde res ejusmodi lentissime procedunt.

Hilli memorabile opus est <sup>2)</sup>, si verum, atque omnibus aliis adprime diversum, semper autem metus subest non fidae narrationis, ut ex nervorum fistulis video, quas sibi visas describit.

1) De Blasia. Erlang. 1759. 4. De Jungermannia, ibid. 1760. 4. BB II, 365.

2) John Hill, The construction of nerves and causes of nervous disorders. London 1758. 8. BA II, 456.

Bernardus de Jussieu, quem credebam mortuus esse, vivit adhuc. Antonius est qui diem obiit<sup>1)</sup>.

Hoc autumnno catalogum plantarum rariorum Helvetiae interim imprimi curabo, ut facilius amicis nomina suppeditem<sup>2)</sup>. Addam quae ex Tua humanitate de Schinziano itinere et nonnullis plantis raris didici. Interim res meae sensim procedunt. Interrumpitur <Physiologia>, cujus tertius tomus hoc cum anno de prelo prohibet. Q<uarti> pars maxima absoluta est.

Beneventus mihi libros varios misit per Bolzan vero Tibi inscriptos. Eos non credo me accepisse. Ait Te sibi literas debere. Itaque si placet rescribere, adde quas ipsi mittas literulas.

Vale et me ut soles ama. [Bern.] <Rupe> die 9. Sept. 1760.

236.

(231).

Accepisti nunc, Gesnere optime, fasciculum, in quo Tibi et Trewoo et Morgagno exemplum ultimi tomi Disputationum mitto. Sequitur alius cum Uva ursi, cujus mihi abunde et, et nonnullis aliis, etiam tomis Disputationum, quos nondum legi, Tu vero, quando legeris, mihi curabis. Vereor tamen ne pleraque sint inter Amoenitates Acad. quae nondum ad me pervenerunt.

Valde laboro in plantis. Muscos emendavi et Salices, sum in Graminibus expediendis. Eae Emendationes Basileae edentur. Eadem opera catalogum rariorum cum numeris addo, ut amicis certiora neque vitiosa nomina possim mittere.

Duae Centaureae splendentes sunt inter La Chenalianas. Earum unam ipse in Valesia legeram.

Nihil accepi a Ludwigo et Gmelino, et de illo pene mirarer, nisi forte bella intercesserunt.

Pro Stokari dissertatione grates ago.

Exspecto a D. Scopoli Floram Carniolicam<sup>3)</sup>, quam ad me misit, sed lentum est negotium.

Nuper parum profeci in conquirendis stirpibus, neque Muscos novos hic reperio neque Fungos, neque regio favet, hinc campestris, inde inaccessis rupibus clausa. Hieracii tamen novam speciem reperimus nunc abunde penitus diversam ab omnibus, habitu solito Jacobaeae palustris.

1) Der Botaniker Antoine de Jussieu war am 22. April 1758 gestorben. Sein Bruder Bernhard starb erst am 6. November 1776. Gurlt-Hirsch III, 432.

2) Enumeratio Stirpium, quae in Helvetia rariores proveniunt. Lausann, 1760. 8.

3) J. Anton Scopoli, Flora Carniolica. Vienn. 1760. 8. BB II, 434.

Lapides aliquos figuratos ex Summo M. Monle adtraxerunt venatores altissimo certe loco repertos, 8000' super Rhodanum, exstat enim exacta mensura.

Mecum gaudebis, quod salis ad solem exhalatio non solum procedat, sed praeterea insigne salis augmentum largiatur minimum decimae partis. Nempe nihil in spinis dissipatur aut ab acro aufertur, neque acer natus ab ebullitione dispellitur.

Possesne ab amicis rescire num J. Sue tabulae osteologicae<sup>1)</sup> propriae sint viri, num, ut alicubi legi, Albini?

Vale et me ut soles ama. Rupe die 6. Oct. 1760.

237.

(232).

Mitto Tibi aut misi potius hodie, Gesnere optime, Disputationes botanicas nuperas cum libris a Benevenuti acceptis, quos suspicor ad Te pertinere, nam duplicia sunt exempla. Disputationum volumen unum destinavi Morgagno, alterum Trewio. Ludwigio, cujus oblitus sum, aliud cum plantis curabo, quas nunc Vobis amicis meis decerpo. Absolvi non minimum opusculum Emendationum, quod Basileae editur, et catalogum, quem Lausannae imprimi curabo.

Horum librorum quos nominas vidi nullum.

Fac quaeso sciat Cl. Hudson<sup>2)</sup> me lubentissime cum eo commercium literarium incepturum, etiam nunc seposuisse stirpium siccorum numerum, quem ipsi destinem, vicissim stirpes rariores, quas suo tempore ex Dillenio decerpam, petiturus. Hillius Synopsin Britannicam<sup>3)</sup> edidit, deproperatum procul dubio opus.

Novum amicum in Suecia nactus sum, M. Beylen Lausannensem, reginae lectorem et bibliothecarium.

Faceres rem gratissimam, si doceres num Albinus in t. V. Adnotationum, quem nondum accepi, porro aliquid contra me sit molitus. Urget bibliopola editionem t. II praelectionum et ego in praefatione vellem respondere, si opus est. Propediem de prelo exit is tomus, et incipiunt dare opuscula.

Haec cum scripsissem, superiores Tuae literae advenerunt cum Plumerii parte X.

Vides Benevenuti fasciculum advenisse.

1) Jean-Joseph Sue (1710—1792), Pariser Anatom: *Traité d'ostéologie* traduit de Mr. Monroo. Paris 1759. fol. 2 vol. „Hae primae in Gallia natae sunt majoris alicujus operis anatomici tabulae.“ BA II, 395.

2) William Hudson (1730?—1793), englischer Botaniker in London. *Dict. Nat. Biogr.* XXVIII, 155.

3) *Flora Britannica*. Lond. 1760. 8. BB II, 359.

Störckium de Cicutā<sup>1)</sup> legi. Non possum tamen plenam hactenus fidem in hoc veneno collocare.

Vale et me ut soles ama. Rupe die 3. Nov. 1760.

238.

(233).

Recte accepi, Gesnere optime, fasciculum Noribergensem et Scopolum, quem tantisper servabo Tibique inviolatum reddam.

Botanica pariter lente prodeunt, quod caream descriptore. Nunquam crederes quanta haec sit difficultas. Interim Emendationum pars quae Muscos comprehendit, hac septimana mittetur Basileam. Catalogi, minuti opusculi 2 foliorum prodierunt.

Omnino vota concipio sincera pro vetere nostro amico.

Vellem a Stokaro resciscere de Hudsono. Ego fasciculum plantarum, quales Anglo videntur placiturae, ipsi destinatas seposui, ad ejusmodi mutua dona paratus.

Mittet Tibi Zerledeus fasciculum, in quo l<iber> destinatus Ludwigio (per Thomannum) et Tibi fasciculus hujus anni. Eo jam clauso plurimos adhuc Muscos corrasi, aliquos non contemnendos. Utinam pictore non destituerer.

Potuerat Eichsfeld M S. misisse, et posset tuto.

Tamen non displicet Scopoli, etsi vereor, ne pleraeque novae sp<ecies> sint, invisis totis. Nunquam sustineo de planta pronuntiare, nisi per omnes aetates visa: adeo video saepe degenerare.

Seligmannus nihil sculpsit Orchidum, ideo monendus.

Physiologiae tomus III. continuo sequitur, et sub prelum init quartus, quem nondum absolvi. Cerebri tamen historia finita est.

Vale, mi Gesnere, et me ut soles ama. Roche die 16. Dec. 1760.

239.

(234).

Ecce, Gesnere optime, catalogum nostrum. Exemplum Noribergam opportune mittes. Dissertationes practicas nescio quas addiderim, destinavi puto Benevenuto, tum Physiologiam.

Etiam Werlhofius laudat Uvam ursi. Undique petunt a me. Curabo ut vim ejus hac aestate colligam.

Nihil erit Schaefferianum opus<sup>2)</sup> ad Tuum. Vix tiro est, ut ex priori opere cognovi.

Ego ex quo silevi bene valui, exspectavi quotidie hoc idem scriptum. Nihil accepi praeter Ginannii librum de grani in herba morbis<sup>3)</sup>, quem nondum legi, et Lyonnetum.

1) Anton Störck, Libellus quo demonstratur Cicutam non solum usu interno adhiberi, etc. Vienn. 1790. 8. BB II, 491.

2) Jak. Christ. Schaeffer, Isagoge ad botanicam expeditiorem. Ratisbon 1759, und Botanica expeditior. Ratisbon 1760. 8. BB II, 472.

3) Delle malattie del grano in Erba. Pesaro 1759. 4. BB II, 483.

Multis negotiis ob accusationem factoris Knechtii obruor, quem non penitus recte res suas egisse in aedificio queruntur, quod 16. Mart. 1760 dejectum est. Fuit mihi multum ineundum calculorum, in re nova, cujus nunquam feceram periculum, materie aedificii. Ita tempus et vita perit. Physiologia sensim serpit. Emendationes puto Basileae prodeunt.

Inutilissimas scribo literas, praestitit me siluisse. Vale et me ut soles ama, Gesnere optime. Rupe die 28. Jan. 1761.

Destinata Trewio quaeso aliquo fasciculo mitte, ne sumtus graves fiant.

240.

(235).

Podagra coegit me currum meum Bernam remittere et haerere Rupe.

Mittam pro Bassano aliqua ad eum Kuhlansium.

Video me gravem Tibi esse in Norimbergensium commercio, lubentissime partem sumtuum debitam feram, alioquin in Tuo aere pensum. Seligmann haec commercia gerit, pauper quidem. Miror Trewium, qui sit opulentissimus, id promittere, ut Vobis haec incumbat cura. Quare certe pro meis rebus fac, Gesnere optime, ut Tibi possim satisfacere.

Quod carissima uxor invaluerit gratulor. Filia mea Halleria tertium puerum feliciter enixa est. Caeterum praeter me valemus omnes.

Pro dissertatione Tua<sup>1)</sup> grates ago debitas.

Ubique et aspere in me scripsit de Haen. Erit respondendum. Miror meum fatum, qui cum laudem plurimos, laedam neminem, tot experior adversarios: Eum ipsum Haenium evocavi quoad licuit. Et experimenta vult refutare opinionibus. Nihil ad rem, si qui judicant, didicissent jure. Nunc qui nihil de re tota intelligunt, pulchre me ajunt refutatum, cujus nunquam argumenta viderint.

Etiam cum inerte bibliopola Darnay<sup>2)</sup> multa mihi sunt taedia, metusque ne grande opus inde detrimentum capiat. Ego interim quartum tomum absolvi et incipio quintum, quo sensuum historia traditur. Fasciculus Suecicus Bernae mihi advenit. Continebit puto dissertationes novas, quas mittam, ut legas: et una, quando advenerit, tertium Emendationum fasciculum, quem Basileae edunt.

Miseri Gottingenses! fame, frigore, sordibus dispereunt. A rege tamen, optimo principe, post pacem sanctam levamen sperant.

1) De variis annonae conservandae methodis earumque delectu. Tig. 1761. 4.

2) Hallers Lausanner Verleger, bei dem der II. und III. Band der Elementa physiologiae erschienen.

Arcadibus per acclamationem nuper adjunctus sum<sup>1)</sup>. Reddam pastorem podagricum scipione nixum aegre reptantem. Nunc omnino me in lectum dedi dolore in altero pede nimis invalescente.

Tu vero vale et me ut soles ama. Rupe die 20. Mart. 1761.

241.

(236).

Advenerunt, amicissime Gesnere, et Suecica, eaque propere lego, ut Tecum possim communicare, Linnaeana praesertim. Inter ea Pugillus Jamaicensis antiquissimus et Politia naturae nuperrima est<sup>2)</sup>. Tu vero vicissim velis mihi significare quot habeas tomos Amoenitatum, tum num ad Benevenutum fasciculum Physiologiae t. III Tibi miserim, nempe fasciculum eodem tempore quo Physiologiam Tibi misi.

Gratum est Te et veterem amicum Gillerum rectius valere.

De Haen nullis experimentis nititur, sed vagis morbis et auctoritatibus. Systema Linn. nondum inter meos libros <habeo>.

Allionius fere similia misit, tum plantas nonnullas. Parat egregium opus de plantis Pedemontanis, quo nostrae valde declarentur. Sunt fere eadem.

Multum sumtus per nostras fit Tibi librorum procuraciones. Vellem alio modo possem servire.

Podagra me tenet remissior. Bernam est eundum ad reddendas rationes et alia ingrata officia.

Muscos nonnullos non malos corrasii. Burmannus Africanas quasdam misit perpulchras. Quaeso commendatam habe Plantaginem monantham. Nunc video Linnaeum plurimas disputationes edidisse, quas nondum accepi. Artes aliquas et tomum 1755 Commentariorum Academia Parisina misit.

Vale meque ut soles ama. Literas adjeci ne interirent. Rupe die 7. April 1761.

242.

(237).

Denique Bernam peto, cum ita videatur esse e re publica.

Podagra quidem non dolorifica fuit, sed diutissima, debiles tenet artus, ut vix repam. Videtur malum in ipsis nervis esse. Ad Haenium respondi, mittamque exiguum scriptum, quod visum est sufficere<sup>3)</sup>. Viennae nactus sum vindices, potissimum Nepomucenum Cranzium<sup>4)</sup>, quem inter et Haenium ob eam rem mirificae lites

1) Gesellschaft der Arkadier in Florenz. Casanova brachte ihm seine Ernennung.

2) Pugillus Jamaicensis, Upsal. 1759. Politia naturae, Upsal. 1760.

3) Adversus Antonii de Haen difficultates vindiciae. Laus. 1761. 8. u. ö.

4) Heinrich Johann Nepomuk Crantz (1722—1799), Schüler van Swieten, Abhandlungen d. K. Ges. d. Wiss. zu Göttingen. Math.-phys. Kl. N. F. Bd. 11, 2. 21

intercedunt, Haeniusque discessum est minatus, quem denique Swietenius, infensus turbulento animo, respondit abire posse, si videatur 5000 flor. se facile carere.

Auctus est a Burmanno textus Weinmanni. Emaculatum non credo, fuisset is labor supra vires Burmanni, est fere Herculis. Stultior liber non facile prodiit<sup>1)</sup>.

Amici mei nuper miserunt Narcissum odore gravi spontaneum. Viciam fl. Onobrychidis abunde, Adonidem dodecapetalon, Nasturtium, quod nondum erui, videtur pingi a Magnetio et ab Alpino colorem differre flore minimo, fructu rotundo. Plura spero ex 2 hominum itinere in M. Sempronium et Rhodani fontes. Venatores sunt, sed aliquam amore plantarum notitiam a me habuerunt.

Legi Linnaeana, parum ea ad Te continent, dum habes Floram Jamaicensem. Neque Walleriana<sup>2)</sup> valde Te morari credo, quae enim meliora sunt, ea lingua prodierunt Suecica.

In Mem. 1755 nihil fere adinet in Memoriis praesentatis, Longi experimenta de pulsu venoso ita scripta tamquam mea et Lamurii nondum vidisset. Frontem hominis sum miratus.

Mea pergunt, opuscula quidem lentissime, Physiologiae tomus IV ad  $\frac{1}{3}$  editus est. Ego in V. tactum absolvi, et medium tenebo operis, quando pervenero ad auditum.

Trium mensium desidia, quibus non erepsi de cubiculo, incipit animum frangere et hypochondriaci mali prima semina in me excitare, nempe laetitiam auferre, quam solebam media inter vitae fastidia ex studiis capere. Spes est cum reduce corporis exercitio etiam animi calorem rediturum, qui aliquamdiu fuit supra modum laetus, dum Rupe vixi.

Itaque vale vir cl. et me ut soles ama. Rupe die 1. Maj. 1761.

243.

(238).

Accepisti ut puto, Gesnere celeberrime, Scopole Floram et Martynium<sup>3)</sup>, hunc leve donum. Suecica vix habeo aut credo me habere, quibus careas, nisi physica aliqua Walleriana velis.

Toto hoc vere et aestatis initio, et etiam nunc podagra vexor satis miti, ut tamen liberam amputationem (!)<sup>4)</sup> interdicat. Fui

seit 1754 Professor der Geburtshülfe in Wien: Solutiones difficultatum circa cordis irritabilitatem. Wien 1761. 8. Gurli-Hirsch II, 531.

1) J. Wilhelm Weinmann, *Multilinguis phytanthozoiconographiae index*. BB II, 278.

2) J. Gottschalk Wallerius. BB II, 319.

3) Es ist unsicher, welcher Martyn gemeint ist. S. BB II, 184, 197, 530.

4) Es sollte wohl heißen ambulationem.

tamen in M. Levans equo usus. Invenit nuper indigenus Pentaphyllum rectum album (luteum potius) et Campanulam, quam nondum expedivi, foliis amplexicaulibus, spinis, multo curto habitu Verbasci, pene suspicor hybridam esse.

Bernae otium trivi in visendis amicis et patronis, nunc ad studia redeo et ad Physiologiam. Frequentes typographi mutationes incommode accidunt et morantur opus.

Ad Haenium quae respondi mittam.

Stipa illa vulgo in Valesia provenit, etiam hic Rupe.

Vim attulerunt Lychnidis coronariae, Viciae Onobrychidis facie, Adonidis perennis, Orobanthes violaceae, aliarum plantarum Valesiacarum. Magnam etiam copiam Gentianae utriculis ventricosus hic Rupe reperi. Promittit regina Sueciae exempla plantarum Chinesium et Arabicarum. Campanula quam dicis nobis in praecipitio Grandine vulgatissima est.

Cl. de Grafenried de Worb<sup>1)</sup> promittit iter ad fontes Arolae et Rhodani, stirpes ait se lecturum, poterit raras aliquas reperire.

Vale et me ut soles ama. Die 15. Jun. 1761.

244.

(240).

Occasionem nactus mitto Tibi, Gesnere clarissime, exempla 2 mei libelli. Duo alia aliquam opportunitatem nactus mittes ad Seligmannum.

Scopoli Floram ab auctore exspecto.

Campanula mira est facie Verbasci, est Cervicaria Bononiensis I. B. Ex eo invenimus Sisymbrii speciem parum notam, quae est Brassica Alpina Ruppilii, et Nasturtium elatum Raj, ab Alpino valde diversum, et vim magnam Salicis myrtillifoliae. Venatores mei die 20. iter majus moliuntur in montes Valesiacos et nostros, ego vero ad finem mensis Jul. in M. Lissent, Praz, Cerats, altissimos hujus viciniae. Pedum enim debilitas sensim recedit, uti calor crescit. Remedium nullum molior. Febrili valde sum temperamento, hinc metuo calida, inde nolo frigidis uti, ne intravertam morbum.

Humanitati Hirzelii<sup>2)</sup> plurimum debeo. Ego quidem quin imprimat non refragor. Tristissima historia ab eo tempore accidit,

1) Karl Emanuel von Grafenried, Herr zu Worb, Wickartswyl und Trimstein (geb. 1732). Leu, Suppl II, 585.

2) Gottl. Em. Haller an Haller, 19. Aug. 1761, Epist. V, 60: „Hirzelius amicissimus homo et emunctae naribus defensionem Tuam contra <de Haenii> objectiones germanice reddidit...“ Die Übersetzung erschien in Zürich im gleichen Jahr.



ut 2 literae Viennenses me docent. Haenius credo ut experimenta contra me faceret, simulavit se sanaturum tres homines gutta serena adfectos. Incidit cutem verticis, rasit periosteum, negaverunt se dolere. Sentit tamen, ait ipse, etsi debilius et ignem admovit. Ita cum tenacius esset cranium, perierunt duo miseri, tertium chirurgus noluit torquere.

De praesidio<sup>1)</sup> videbitur, quando bello finis erit impositus. Neque desidero neque refuto. Non desidero, quod senex egeam otio potius quam novis laboribus. Non refuto, quod inutilis fere sim in Helvetia, in eo munere vero possim publice prodesse. Velit Deus viam ostendere. Interim nihil certi est.

Brissoni Avium t. IV. accepi, et exspecto aliqua Anglica. Possetne per Vestros haberi Commentariorum Petropolitanorum continuatio?

Ex Guadalupa plantas exspecto per D. Gressier, vicinum meum et olim colonum.

Vale, amice veterane et gratissime, meque ut soles ama. Bern. (!) die 10. Jul. 1761.

245.

(242).

Post meas ultimas iterum in Alpes excurri, Lioson superiorem, quo ex lacu Alpino prodit Hongrin rivus, et montes Ormondanos. Parum reperi novi. Alcea tamen hirsuta ad rivum vallis Ormond nascitur, et frequens in lapidosis est Geranium, quod nunc non satis expedio, non fuscum, sed gris-de-lin, plenum petalis circum-serratis, Scirpum bisungularem et Mariscum nuper hic reperi.

Quae Tua benignitas filio meo contulit, sunt pro veteri Tua amicitia. Nihil certum est de Praesidio Berolinensi. Senesco, parum sum ambitiosus.

Irmingerus non advenit. Nuper Comes Wurmbrand hic mecum fait.

Insolentissimam epistolam Vandellii<sup>2)</sup> accepi, sed cassam omni experimento nihilque nocentem. Placeret si Hirzelius Cl. Burkarti relationem suo libello adderet<sup>3)</sup>.

1) Die Rückkehr nach Göttingen als Präsident der Gesellschaft der Wiss.

2) De thermis agri Patavini, acc. epistola adversus Hallerum. Padua 1761. BA II, 520.

3) Gesner an Haller, 12. Aug. 1761. Epist. V, 57: „Hirzelii versio his diebus prodiit, et apud nos avide et cum fructu legitur. Absoluta erat, cum litterae tuae advenerunt; itaque Burkardiana observatio opusculo huic jungi non poterat. Ea vero inserta est Actis Societatis nostrae physicae; simul in Scholio, ubi de irritabilitate agitur, tuae apologiae mentio fit. Haec versio ea forma et typis impressa est, ut cum his Actis jungi possit.“

Venatores mei et chirurgus Ricou sunt in Sempronio M. mihi plantas venaturi. Heri tota die pluvia nocuit. Nunc cum altissimo barometro tempus est firminus. Ut absque nimio sumtu summas Alpes percurrerent homines idonei, cum pharmacopola Stuvio mihi convenit, cui plantas ad theam Helveticam novae compositionis conperirent. Taylorus misit ad me suam orationem et responsionem ad Haenii difficultates de variolis. Pringlius vellet mihi imponere onus novi Sepulchreti, sed quid possim? Vix ex Physiologia me expedio.

Diligenter paludes nostras hac aestate perquiram. Habent multa bona et plura procul dubio latent.

Utinam esset quem possem sumtu meo mittere in Rhaetiam, juga Bormionsia et Engadina.

Vale, amice suavissime, et me ut soles ama. Roche die 7. Aug. 1761.

246.

(243).

Redierunt mei homines et plantas raras tamen nonnullas adtulerunt, novas cives Vitalianam et Echinopum, hunc in Valesia vulgarem, raras alias ut Pedicularem fuscam, Aretiam monantham petiolatam, Coterum, Odontiten pomi ordini proximam luteam, diversam tamen foliis hirsutis viscidis, non siccatis, alias quasdam.

Cl. Irminger unico minuto horae nobiscum fuit, quod doleo. Omnia facillime monstrantur in Solanis.

Rex Daniae misit fasciculum 60 tabularum suae Florae coloratarum, et Oederus aliud exemplar nigrum<sup>1)</sup>. Id nondum accepi, Tibi vero lubenter offero. Iam 25 tabulas habeo satis pulchras.

Exspecto aliqua ex venatoribus in summas et ferissimas glaciales rupes inter S. Bernh. et Viege missis. Sed magis et magis Alpium fertilitas dedonat. Pulcherrima tamen gramina nuper cor-rasi. Valde nunc et Berolini me urgent et Hanoverae. Ego mallem triennium meum in placidissimo Rupi otio transigere. Reliqua Deo committo. Haec cum scripsissem, advenerunt literae Tuae. Itaque non deerit mihi aut Haenius aut Vandellius, qui Hambergeri et Bianchi vices supplent, quos mors abstulit.

Epistolam Pozzianam opportunitate aliqua vellem videre si placet.

Tu vero vale, amice clarissime, et me porro ama. Die 14. Aug. 1761.

1) Die Flora Danica, die Oeder auf Kosten des Königs von 1761 an in Lieferungen herausgab. BB II, 507.

247.

(244).

Nuper, valde amicissime Gesnere, ad Te literas dedi, et nunc iterum redeo importunus. Seria valde res agitur. Filius natu major scribit se desiderare nuptias virginis Vestratis, Margarethae Schulthes, mercatoris filiae, Tibi procul dubio notae. Appellat ad Te ut testimonium des de virginis moribus, penu aliisque ex quibus de nuptiis judicari solet. Ego addo, num omnino juvenis rem faciliorem sibi imaginetur, quae sit forte multo dubia magis. Tuum adeo testimonium Tuumque consilium pro vetere amicitia desidero, ex eo statuere paratus quae mea de his nuptiis sententia sit<sup>1)</sup>.

Post nuperas meas Botonicam Alpinam certo diversam et satis abundantem nostris addidi civibus: contuli recentem cum vulgari novamque Saxifragiam habitu toto Drabae hirsutae Alpinae, sed veram Saxifragiam mollissimis foliis ellipticis radicalibus. Cras homines certos in summas Alpes circa Penninam M. mitto, unde forte aliquid redibit commodi. Ego paludes oberro, non frustra. Althea hic passim provenit.

Vacat cathedra C. Aug. a Bergen<sup>2)</sup>. Quaeritur a me peritus homo. Credo de anatome agi et botanice. Credisne Stokarum operae pretium crediturum esse, si a patria ob id decus abesset?

Gesnerus Gottingensis obiit, cum ultimum opusculum Orphicorum<sup>3)</sup> mihi dedicaret, quod puto posthumum prodibit. De inimicitia hujus hominis luculentam victoriam credo me reportasse. Si quidem a decem retro annis amicum habui. Non ita Huberus, gener. Nunquam ad sanam mentem rediit.

Vale, suavissime Gesnere, et me ut soles ama. Die 24. August 1761.

248.

(245).

Quae de virgine illa scribis sunt ejusmodi, ut in iis possim acquiescere. Unica difficultas est, quod civis cum non sit, neque ipsa in moribus insolitis perinde sibi sit placitura, neque filio cognatorum faciat accessionem.

Oederi programma nunc accepi. Longum erit opus 60 tabularum annuarum, aetatem nostram facile superabit. Quae vidi, ea nitida sunt satis. Cicuta ubique nobis provenit, non vero valde

1) Anna Margarethe Schultheß (geb. 1734), Tochter des Zunftmeisters Hans Kaspar Schultheß.

2) Er war Professor in Frankfurt a. O. gewesen. Gurlt-Hirsch I, 405.

3) J. M. Gesner starb am 3. Aug. 1761. Das erwähnte Werk erschien posthum unter dem Titel „Ὀρφείως ἄπαντα“ s. Orphei argonautica, hymni, libellus de lapidibus et fragmenta etc. Lips. 1764. Pütter I, 65.

abunde. Aquaticam nuper in nostris paludosis reperi cum Lenticula majori, Lenticularia, Scirpo triangulari, Xanthio. Medias inter paludes habitans Scheuchzeriam non possum detegere. Quamnam paludum speciem amet nescio torfacea, an nigram terram, an aquam musco fortem, an arundinacea. Calor nobis est ardens fere circa 29 et 30 Reaumurii hora l. p. m.

Knoopii Pomologiam<sup>1)</sup> puto ante me habes.

Ad Hudsonum, de quo Stokarus, nunc stirpium siccarum misi fasciculum, Britannicos ab eo vicissim speraturus. Edit nunc maxime Floram Britannicam<sup>2)</sup>.

A bibliopolis petii Gronovii Bibliothecam regni animalis<sup>3)</sup>. Nescio cur negant.

Cranzium pro irritabilitate librum edidisse certum est.

Vale, amicissime Gesnere, et me porro ama. Roche 21. Sept. 1761.

249.

(246).

Videtur Schulthessia animi dotibus dives esse neque fortunae donis carere. Utinam in Urbe sibi nova non inveniatur taedii causas.

De Gygeri mappa<sup>4)</sup> gratus sum.

Remitto Pozzi epistolam.

Non necesse fuisset sumtus in Oedero Te facere. Fasciculum habeo nigrum superfluum: et jam habeo sed imperfectum.

Si potes curare mihi meo sumtu Bibliothecam Gronovii, gratam rem facies. Sed dudum sum in aere Tuo. Ubi prodierunt Amoenitates Linnaei?

Scheuchzeriam frustra quaerito. Caeterum Muscos meos speciebus aliquibus novis auxi.

Ziegleri epistolam eo ipso die potui Gottingam mittere.

Sulzeri splendidum satis opus Tuae liberalitati debeo.

Hirzelio gratulor, de Abeggio miror.

Quid amplius. Leewii lexicon? processit?

His diebus in plantis emendandis laboro, maxime muscis, deinde reliquis. Dillenius nimis subtiliter videtur divisiones specierum

1) J. Hermann Knoop, Den beknopten huyshoudelyke hovenier, Leeuwards 1752. 8. Haarlingen 1762. 3 vol. BB II, 414.

2) Flora Anglica exhibens plantas per Regnum Angliae sponte nascentes. London 1762. 8.

3) Laurentius Theodorus Gronovius (1730—1778): Bibliotheca Regni Animalis atque Lapidei. Lugd. Batav. 1760.

4) Konrad Gyger (1599—1674), Zürcher-Mathematiker und bedeutender Topograph. S. Wolf II, 47 ff.

persecutus, nostratium etiam variis caret. Reliqui vix quidquam ad rem. Id miror tot vicissim Hypna inter Brya miscuisse virum III.

Vale, amicissime Gesnere, et me ut soles ama. Rupe die 19. Oct. 1761.

250.

(247).

Misi ad Te, Cl. Gesnere, stirpes siccas hujus anni, aliquas non malas, sed rarissimarum non suppetebant specimina, ut Asteris argentei, Matricariae novae. Habeo etiam quem mittam, Janum Plancum de conchis minus notis<sup>1)</sup>.

Quae humaniter de filio scribis sunt pro antiqua Tua in me amicitia.

Societatis Vestrae Acta magnae mihi erunt utilitati et pro iis gratias ago<sup>2)</sup>.

Exspecto novum ex Suecia volumen. Habebit non quidem Solandri Surinamensia<sup>3)</sup>, nihil enim ejus hominis prodibit, cui torrida zona Arabum ambussit, sed Kadmii Itin. T. III., Linnaei Fauna aucta editur. Regno minerali valedixit.

Brissoni puto vis Ornithologiam<sup>4)</sup>, non Buffoni. Utile est, sed siccum opus, mere a custode pinacothecae scriptum.

Pro Scheuchzeria gratus ero.

Ars papyri faciendi nondum ad me venit, sed aliae artes variae. Seligmannus promittit fasciculum, quem quaeso nobis cura propediem, quando advenerit.

Ego historiam naturalem Sommersetae exspecto. Amici Parisini miserunt varia non magni momenti.

Typographus meus iners homo ex papyri inopia editionem operum meorum suspendit. Ego versor in visu.

Fasciculus nunc advenit Noriberga. Erat in eo Cranzii Myologia pro me adversus Haenium<sup>5)</sup>, tum Noribergensia aliqua.

Vale et me ut soles ama. Rupe die 30. Nov. 1761.

1) Simone Giovanni Bianchi, De conchis minus notis. Venet. 1749. Erschien 1760 in neuer Auflage, BA II, 182.

2) Die Abhandlungen der Naturforschenden Gesellschaft in Zürich, die von 1761 an erschienen.

3) 1755 hatte Linnés Schüler Solander eine Reise nach Surinam unternommen, die aber wenig Erfolg hatte. S. Stöber, Leben des Ritters Carl von Linné. Hamb. 1792. I, 336.

4) Brisson, Ornithologie concernant la division des oiseaux en ordres, sections, genres, espèces et leurs variétés. Paris 1760. 4. 6 vol. BA II, 517.

5) Quaestio medica quae sint causae musculorum motrices. Wien 1761. 4. BA II, 531. „Cujus disp. auctorem nunc audio esse P. A. Marherr.“

251.

(239).

Mittet Tibi Zerledeus plantas quas jam habet, tum Janum Plancum. Kölreuterus paulum praeceps est: ita vidi cum dissertatione inaugurali. Caeterum homo strenuus et ad inventa aptus<sup>1)</sup>.

Catalogum Gaunii averem vidisse.

In fasciculo Noribergensi fuerunt 2 tabulae Orchidum sic satis bonae, non tamen adtingunt Röslerianas Oederi.

Multus sum in oculis. Inveni tandem absque ulla repletionem artem separandi retinam in duas laminas perfectas, quarum exterior penitus similis opaca, interior fibrosa est et omni aranearum tela subtilior ubique! Possim Tibi ostendere quam coram habeo. Dabo observationem ad academiam regiam Parisinam<sup>2)</sup>. Ostendo etiam in piscibus impossibile esse Mariotti<sup>3)</sup> systema. Piscibus tres sunt chorioideae, extima argentea, media mira pulchritudine vasculosa, intima nigerrima et obduta aterrimo muco, qui etiam retinam facile tingit, ut possit nunc radius parcum mucum penetrare, qui factus sit, ut omnem lucem auferat.

Piscibus lens crystallina ex duabus plumulis suspenditur, quarum altera est ex chorioidea, altera a retina advenit cum vaso rubro, cujus alter ramus alit humorem vitreum, alter lentem crystallinam etc. Haec inter mea. Vides quam apti sint Galli ad intervertendum quae nova nos Germani invenimus.

Kölreuteri libellus est eximius. Tentabo num possim Francofurtum ad V. eum promovere. Difficultatem facit quod Lutheranus sit. Tentabo tamen.

Historia piscium posthuma Duverneyi prodiit, et recens est primus tomus libri de corde Senaci, ut ipse hodie scripsit.

Advenit fasciculus inscriptus Ill. rei publicae vestrae. Credo esse pauperis utique, sed est signatus et libellum continet. Quid vis ut de eo statuam?

Vale et me ut soles ama. Roche 21. Dec. 1761.

252.

(248).

Aliquos libros desideratos in schedam conjeci, quos ut mittas rogo, Gesnere carissime, cum debitorum meorum summa, quam rependam.

1) Über seine Versuche S. BB II, 453. Er faßte sie zusammen in der Schrift: Vorläufige Nachrichten von einigen das Geschlecht der Pflanzen betreffenden Versuchen. Leipzig 1761. 8.

2) De oculis piscium commentarius. Mém. de l'Académie des sciences. Paris 1762 u. 64.

3) E. Mariotte (gest. 1684), der berühmte französische Physiker, der 1668 drei Briefe an Pecquet und Perraul unter dem Titel „Nouvelle découverte touchant la vue“ veröffentlicht hatte. Nouv. Biogr. Gén. XXIII, 804.

In oculi anatome eo profeci, ut nunc Commentarius describatur. Vasa anteriora crystallini denique in avibus et piscibus detexi. De retinae 2 laminis fibrisque nullum est dubium. Vasa vitrei humoris anteriora et posteriora penitus expedivi. Utinam haberem pictorem.

Dabo etiam anatomen cerebri piscium valde singularem.

Parum sanus est homo, a quo fasciculus advenit. Ita Geneva responsum est, ut omnino nolim reipublicae Vestrae molestus esse.

Puto Duverneyum in anatome potissimum piscium laborasse. Utinam haberemus majores. Maximi sunt trutae et salmones.

Valde me vexant typographorum Lausannensium desidia et morae. Verus possessor Grassetus utcumque in exilio vivit, in Hispania, non meritis. Tanti fuit offendi Voltarium<sup>1)</sup>.

Haenium audio respondere, etiam Albinum contra me scripsisse. Iste quidem minutias fere aliquas sortitur, exulcerati dudum animi homo.

Satis recte et absque podagra valeo, etsi fodina mihi fuit alienissimo tempore percurrenda.

Metus est ne onerer Aquilegiensi gubernatione. Nuper electus Grafenriedius<sup>2)</sup> obiit.

Vale, Cl. Gesnere, et me ut soles ama. Rupe die 19. Jan. 1762.

253.

(249).

Accepi fasciculum librorum gratus et per Schulthesium curabo rependi 9 flor. cruc. 8. Si potes aliquamdiu carere diss. Palmii de Resorbitione intestinali<sup>3)</sup>, averem legere.

Non potui declinare praefecturam Aquilegiensem, quam mihi senatus d. 4. contulit. Aliquantum morae patientur opera mea, sed servio patriae et amicis.

Exspecto Albini scriptum, ut decenter respondeam.

Kölreuteri bonam sortem gratulor.

Mihi ingrattissimus typographus omnis modi lites facessit. Cogor ipsum accusare ob honorarium 1430 fr. mihi debitorum.

Piscium oculos nunc finio. Nunquam potui ut reliqua ita satis commode vasa lentis crystallinae videre, etsi aliquando vidi. Vitrei vasa sunt quam pulcherrima, tum ceterae fibrae, hae in tinca si Tibi placet videre maximae et liberrimae. Laminae duae in omnibus piscibus.

1) Grasset hatte Anfangs 1759 eine kleine Schrift gedruckt „La guerre littéraire ou Choix de quelques pièces polémiques de M. de V. avec les réponses. Pour servir de suite et d'éclaircissement à ses ouvrages.“ Hirzel I, 395.

2) Sigmund Emanuel von Grafenried (1718—1762), 1755 Mitglied des Großen Rates, 1761 Landvogt von Aelen. Leu, Suppl. II, 584.

3) J. Albert Palm, De resorbitione intestinali. Leid. 1760. 4. BA II, 573.

Exspecto Duverneyum a Senaco mihi dono datum et Morgagni librum, quem moratur depositio apud Milanensem facta. Quae nova habeo sunt parvi momenti, qualia vulgo scribuntur.

Vellem, amicissime Gesnere, ob certas rationes, hanc quam addidi morbi historiam communicares cum Cl. Burkhardo, ut feminae primariae, quam a multis annis sustento cortice Peruviano, aliquantum consolor impatientiam. Scopus non est sanare ulcera, sed dolorem quantum fieri potest mitigare. Neque enim sanare vellem, certam mortem exspectaturus, nisi naturae hoc stillicidio sublevaretur, quod fit per ulcera.

Fasciculum ex Suecia exspecto cum Kadmii t. III. Solander redux ex Surinama nihil vult edere, ideo privatus annuo reditu. Credunt expertum esse vim nimis aestus.

Vale et me ut soles ama. Roche 8. Febr. 1762.

254.

(250).

Ad duas epistolas Tuas respondeo, amicissime Gesnere. Albini libro V. <sup>1)</sup>, quem recte descripsisti, respondi. Et mores peccant, et errat in omnibus nisi forte in carnea fabrica valvulae coli. Ego infantibus usus sum, ille adultis. Verum non erat res tanta ut oporteret eos clamores edere, utique ridiculi sunt. Vertit Lagos per insidias, et ob eam asperam vocem mire irascitur, quam neque ego protuli, neque Gottingensis diarii auctor. Sic testis (goiten) vertit per ductum thoracicum (Sylbing apud Bilsium) et alia.

Vellem nomen meum apud Te liberare. Placeat Tibi, amicissime vir, quid debeam significare. Libellos accepi.

Suecicus fasciculus advenit. Nihil Linnaeanum: puto vetuit, sed incredibilis numerus disputationum physicarum et oeconomiarum, Kadmii Iter t. III., Descriptio novae Sueciae (New York) et alia.

Praefectura Aquilegiensis aliquantum otii aufert, caeterum non est molesta.

Mira et memoriae digna est historia quam narras de maniacis <sup>2)</sup>. Non obliviscar D. a Beroldingen. Sulfur Bactiacense mittere possum. Talcum hic inveniunt sed raro <sup>3)</sup>.

1) Nämlich die Annotationes anatomicae. Leid. 1761. S. GGA 1763, 262 f. Haller erwiderte im Vorwort zum IV. Band der Elementa physiologiae.

2) Epist. V, 90.

3) Gesner an Haller. 20. Febr. 1762. Epist. V, 91: „Nobilissimus Franciscus Dns. in Beroldingen, Canonicus Hildesiensis, qui in Gundelhard habitat, cujus litteras forte ante biennium ad Te misi, in suis litteris ex me quaerit, utrum fossilia quaedam ex Bactiacis salifodinis a Te acceperim sibi perferenda: ei enim aliquando pro humanitate tua eorundem obtinendorum spem factam fuisse“.



Habemus in salinis Roverum fil. valde accuratum scriptorem, neque facile credo alium iri adoptatum. Sed non obliviscar Tuae commendationis, si occasio favebit<sup>1)</sup>.

Burkhardo interim meo nomine gratias age. Tantum de recto quaerimus et ulceribus dolentibus. Nam feminam China china a 18 annis sustineo.

Nondum accepi Duverneyana Audio vero nova non esse nisi anatomen, et vereor ne omnia praecipue jam Winslowius habeat. Cowperi brachium exspecto.

Mercurio cum camphora et sulfure aurato antimonii<sup>2)</sup> tuto nuper scrophulos dissolvi frustra ustos et incisos. Semper moras facit meus bibliopola et pene erat in jus eundum. Nunc promittit se fore aequiorem. In vasis crystallinis laboro, plane detectis vitreis. Posteriora bene teneo, in nuper natis quadrupedibus conspicua, ut in porcello. In anterioribus laboro. A circulo vitrei suspicor venire, et putabam me vidisse, non sum satis certus meae rei. In vitulo et porco membranam a retina ad lentem enutare bene vidi, quam nisi fallor etiam homo habet. Ita me subinde delecto, nihil enim mihi gratius est ejusmodi solitariis neque penitus sterilibus inquisitionibus. Ad ventriculum animalium et intestina nunc transibo, ad ea etiam ob Albinum.

Vale et me ut soles ama. Rupe die 15. Mart. 1762.

Possemne habere catalogum Eislefeldii disputationum? Dudum nullos accepi et vellem meum penum complere.

255.

(251).

Non labores adeo, Gesnere suavissime, sed cursitationes et ambitus pro adfina Buchero me Bernae adeo tenerunt occupatum, ut ad literas Tuas gratissimas datas die 20. Mart. nondum potuerim respondere. Nunc a principio hujus septimanae Rupe redux incipio respirare, et ad solitum vitae genus redire.

Albini cavillas et superba convicia facile fero.

A Gmelino aliquot annis non audivit(!).

Certe scrophulosam virginem et celeriter sanavi his quae indicavi remediis. Soleo simplicissime mercurium dulcem cum camphorae momento (ana nam parum interest) et amaro extracto, etiam aloe propinare. Simili remedio vomitus ciborum ex incipiente scirrho pylori in nob. Erlachio consulis filio sublatu est. Gratum tamen faceres si extr. cicutae<sup>3)</sup> ad uncias duas posses Bernam

1) Epist. V, 91.      2) Epist. V, 96.

3) „In scrophulosis effectibus cicutae usum satis efficacem nostrates experti sunt.“ Epist. V, 96.

curare, in pilulas redactum, ut semper in diem dosis esset. Dabo matronae, cui mammae durus scirrhus est et suspectus. Ad Zerlederum dantur. Misi Tibi 3 exempla tomi IV. Physiologiae, Tibi unum, aliud Trewio, aliud Ludwigo per Thomannum, quem indicavit. Oportebit tamen, si apud vos exstat, mittere Haenii vindicias. Paulatim in res meas circumspicio. Praeceptor filiorum Anemonen Bulbocastani radice in nostris rupibus reperit, sed parce, Linnariam vero abunde. Libros novos habeo bene multos, et paulatim lego. In Physiologiae t. VI. laboro. Duverneyi posthuma alicujus momenti esse videntur. Sommersetiae historiam naturalem exspecto, ad quam praenumeravi. Morgagni opus<sup>1)</sup> nondum accepi, sed Bernae praestat, grande volumen fol. Siccitas prata nostra tenet, ut parum speremus faeni, parum vini.

Aquationes equidem summe utiles nostris pene ignorantur.

Homines certi in Valesiam hodie profecti sunt, ut in planitie stirpes quaerant. Ego in planitie etiam ut potero curabo. Oedemata pedum me vexant, quae per calores crescunt.

Per Schulthesium nummos Tibi curabo, tum Schaeffero.

Vale et me ut soles ama. Die 17. Maj. 1762.

256.

(252).

Serius respondeo, Gesnere amicissime. Post Tuas Lausannae fui, ut synodo praesiderem cum Lausannensi et Vivicensi praefecto. Ibi cum triduo abessem, interim per siccissimam tempestatem, plus 60 dierum exarescentes sylvae casu ignem conceperunt, et incendium supra Roche supraque capita nostra 200 minimum juga devoravit. Defluerunt de praecipitiis rupium resinae inflammatae. Totis 12 diebus ignis superfuit: ego vero infinitis curis distractus 500 primo, deinde diu 200 et ultra homines habui nutriendos dirigendos, docendos. Tandem, cum multo plus mali evitassemus quam sumus passi, ignis conquievit, fuit autem plurimum epistolarum expediendum ad magistratum. Nunc ad meos labores redeo.

Pretium velim rescire extracti cicutae. Frustra fuit Werlhofius, cum everteretur.

Placeretne mihi commendare IV. V. et VI. t. Petropolitanor. novor. actor.? nescio ut possim ea acta nancisci. Curabo ut redeant matura. Ego Duverneyi posthuma lego et Buffonium et alia nova. Haenio, injusto et convicioso homini, Tissotus quantum satis erit respondebit<sup>2)</sup>.

1) Sein klassisches Werk „de sedibus et causis morborum“, das 1761 in Venedig erschien.

2) Lettre à M. Hirzel sur quelques critiques de M. de Haen. Lausanne 1762. 12. BA II, 501.

Albino ut responderim, videbis in Physiologiae t. IV., quem puto Te nunc accepisse.

Plantas non penitus frustra investigavimus. T. Graecum polyceratem in Valesia reperimus sponte natum. Nunc spero quendam rusticum, sed botanicae non imperitum, Juilleret, meis sumtibus iter suscepturum in Rhaetiam et Tellinam vallem. Is Tigurum veniet, velimque Te et Cl. Schulthesium exoratos, ut commendatitias literas Curiam et Chiavennam ei suppeditetis, ut tutum ei sit iter.

Alios homines remitto in Alpes glaciales inter Valesiam et Chamony, alios in Sempronium Alpesque Grajas. Vellem dum hic vivo absolvere opus meum, quantum unquam licebit. Post Rupes nihil in vita mea praevideo.

Comes Bute<sup>1)</sup> misit ad me Hillii Systema vegetabilium: caeterum ad rem nostram nihil valde novi habeo. Linnaeani Systematis editio Batava aliqua habet propria tamen, sed erit magnum opus et collatitium.

Vale, amicissime Gesnere, et me ut soles ama. Rupe die 22. Jun. 1762.

257.

(253).

Addo hic pro Juilleretio botanico literas ad Ill. de Salis. Excusa, Gesnere optime, importunitatem. Reddes ei, ut Thurico transibit. Pluviae socios, quos nisi in altissimos montes Valesiae et Pedemontis ad occidentem S. Bernhardi, multum ut vereor tardabant.

Cum habeam ex Comitibus Buti liberalitate Hillii System of vegetables s. anatomen plantarum novam, Tibi meum prius exemplar destinavi, nisi forte jam habes. Accipe amice leve donum.

Vale et me ut soles ama. Rupe die 28. Jun. 1762.

258.

(254).

Gratus accepi, Gesnere clarissime, quae misisti, et faciam ut 4 floreni tibi rependantur. Si possem Comm. Petr. a Gaumio habere, emam. Mihi nulla cum eo est familiaritas. Fac quaeso ut habeam. Accepi opus Morgagnianum castum et necdum lectum. Tabulae Camperi utiles sunt, non tamen plenae<sup>2)</sup>. Difficile forte fuit pathologiam plenam parare. Tentaveram, sed me recepi ad arterias.

Fefellit me plantarum venator. Li qui in Alpes Grajas et

1) John Stuart, Earl of Bute (1713—1792), zu der Zeit first Lord of the Treasury. Dict. Nat. Biogr. LV, 92 ff.

2) Pieter Camper (1722—1789), Demonstrationes anatomico-pathologicae. 2 Bde. Amsterdam 1760—61. fol. Gurlt-Hirsch I, 651.

Penninas ierunt retulerunt aliqua, Persicariam mont. racemosam, Staticen, Cicutariam latifoliam, faetidam, dudum desideratam, magnificam plantam, nescio quas Potentillas trifolias, quas nondum comparavi.

Accepi II. tomum Miscellaneorum Turinensium cum florula Corsicana<sup>1)</sup>.

Vandellius junior fermum vendit.

Enormis nobis est aestus, his omnibus diebus thermometrum fuit in umbra ad 90 in sole ad 139 gr. Fahrenheitianos. Vix dormimus, vix pene vivimus. Accēpi Gerardi Floram<sup>2)</sup> bis, etiam eam offero, si placet: habet icones et nomina Linnaeana.

Turbae typographicae societatis mihi vehementer molestae sunt. pergo tamen in Physiologia: ejusque tomo VI. Bernam misi catalogum arborum Helveticarum<sup>3)</sup>, de quo nihil inaudivi.

Poematia mea excusa sunt: exemplum nondum ad me pervenit ullum. Quanti constant opuscula Gesneri Vestri<sup>4)</sup>?

Haberem libros ex Germania emendos. Emerentne Vestri, si mitterem catalogum? Non sunt cari, neque rari.

Exspecto fasciculum Noriberger. Non videtur ad Vos pervenisse hactenus.

Vale et me ut soles ama. Roche 1762, 26. Jul.

259.

(255).

Accepi, Gesnere optime, Tuas literas d. 17. Jul. cum Schaffarianis. Scribo ut Tibi nummi reddantur, tum 15 flor. pro redimendis Commentariis Petropolitans cum sumtibus quos ignoro.

Post ultimas meas plantam pulcherrimam deteximus, Epipogon Gmel. in vallecula Alpina, in qua etiam Corallorhiza, Orchioides, Ophrys minima, et Pyrola uniflora prodit. De Persicaria racemosa, Statice, Cicutaria faetida puto me scripsisse.

Caeterum grando hortos vastavit die 27., postquam extremos aestus eramus perpassi: In umbra boreali thermometrum adscenderat ad 90, in umbra meridionali longe supra centum, in sole ad 148 Fahrenh., ita plusculis diebus.

Fuit nobiscum M. Scupré thesaurarius Gallicus Lugdunensis, optimus homo. Montanas feraces S. Bernhard et Enzeinda conscendit, nihil valde reperit. Aestus etiam Alpes siccavit. Ab eo spero plantas Delphinatus, forte Pyrenaeas.

1) Von Carló Allioni. BB II, 452.

2) Louis Gérard, Flora Gallica Provincialis. Paris 1761. 8. BB II, 507.

3) Verzeichnisse der Bäume und Stauden, die in Helvetien wild wachsen.

4) Der Idyllen-Dichter und Maler Salomon Gessner (1730—1788).

Fasciculus hinc Tibi destinatus abit die lunae. Redeunt cum gratiarum actione volumina Scheuchzeri, Goldoniani tomi Cl. Schultessio et Hillius leve donum Tibi destinatum, qui tot sumtus in fasciculis meam ob rem facit, denique Gerardi Flora, quam si jam habes et displicet, possis per opportunitatem mittere Basileam ad D. La Chenal. Mira Vienna audivi de Haenio. Contra Cranzium theses candidato dedit adeo virulentas, ut Swietenius eas supreserit, candidato honores doctoris negaverit, Haenio sit comminatus.

Vale, Gesnere praestantissime, et me ut soles ama. Roche 1762, 30. Jul.

260.

(256).

Sumtus Tuos, amicissime Gesnere, in tabulas retuli librosque exspectabo. Gaumii responsum et tomos illos 3 Act. Petrop. valde desidero.

Schmiedelii tabulas curabo, ut habeam.

Ex catalogo Heideggeri desiderarem:

Actor. Moguntinor. Tom. 2.

Plenciz opera med. physica

S..... göttl. ordnung. nov. ed.

Hanov. physica Wolf.

De Gesnerianis poematiis gratias ago, non oportuisset nummos expendisse, neque audebo Tua humanitate uti, si cum Tuo damno fiat. Nos nuper Epipogum abunde deteximus. Hominem etiam misi in asperrimam viam, quae Vispa ad vallem angustam migrat, octo leucis morana glaciem superat. Exspecto quid inde sit futurum.

Quartus jam Hilli tomus iniit, quorum misi primum. Carduorum continet icones. Nondum accepi, sed Gouani Floram Monspe-liensem <sup>1)</sup> exspecto, auctoris donum, qui etiam plantas promisit.

Labores mei hic fere continue crescunt et pene fiunt nimii.

Sulzerum <sup>2)</sup> his diebus exspecto.

Vale et me ut soles ama. Die 24. Aug. 1762.

261.

(257).

Duas epistolas Tuas coram habeo, Gesnere amplissime, quarum prior per longissimas ambages Gottingam ivit et tandem huc rediit. Nobis sic satis grandes aquae fuerunt, etiam ante paucos dies, ut via Viviscum ducens penitus interciperetur, sed nullum hic majus malum inde factum. Denuo vero grandinosi dies Lemani lacus vineas fere omnes vastarunt.

1) Antoine Gouan, Prof. in Montpellier, Hortus Monspe-liensis sistens plantas indigenas et exoticas 2200. 1762. 8. BB II, 518.

2) J. G. Sulzer (1720—1777), der berühmte Ästhetiker.

Error est in libro Fontenelliano. Pertinet ad fratrem meum, cui occasione data quaeso remittere.

Tibi destinata est Gerardi Flora. Emeram, postea misit cel. auctor Allione. Exspecto etiam quotidie Floram Monspeliensem, quam misit M. Gouan. Vellem Gaunius curaret tomos reliquos, nempe IV. et V. Petrop. Pretium aequum est.

Sulzerum exspectabam, nunc scribit se non posse huc venire. Mittam saccum Uvae ursi. Ejus libram et ultra quaeso curabis D. Thoman, ut per Ludwigium mittat Springsfeldio<sup>1)</sup>, sufficet misisse Ludwigio.

Nuper praeter morem fui occupatus. Omnes subditi (?) gubernii debent querelis publicis exponi, deinde admonitione facta ad novum jus jurandum admitti. Id intermissum est a 40 retro annis incuria gubernatorum. Nunc et haec et alia in ordinem restitui. Triduum hac septimana impendi praeter 2 dies dicendo juri et audiendis causis destinatos. Botanica imprimis patiuntur, etiam librorum lectio.

Vestros exspecto. Vellem curarent mihi T. 18., qui puto est ultimus, der allgemeinen Historie der Reisen.

Vale et me ut soles porro ama. Rupe die 31. Aug. 1762.

Fac habeam, quaeso, eorum quae Tibi numeravit Schulthessius schedulam. Amo, ut nosti, omnium pretia scire.

262.

(258).

Hodie accipio fasciculum dudum ad me missum cum vol. IV. V. VI. Act. Petrop. Vehementer metuo ne difficile sit IV. et V. nunc invenire. Et ille Gaunius ad Te scripserat se habere, neque emissem VI. solum. Itaque quaeso, Gesnere optime, fac ut promissis stet IV. que et V. repraesentet, quibus carere nequeo. Pacis summa spes est, cum qua faciliora erunt haec commercia.

Schedam expensorum quam misisti gratam habeo, curabo ut rependantur. Nullius momenti sunt sumtus pro Uva ursi. Tantum pro itinere aliqui erunt, quos Tibi permitto.

Curiosus exspecto nova illa Viennensium scripta.

Ego in difficili deglutitione a scirrho glanduloso inque scrophulis mercurio cum camphora et aloe feliciter utor.

Nimii labores et corporis ingravescens pondus et oppressa ob adipe aspera arteria valde turbant mea botanica. In Physiologia

1) Gottlob Karl Springsfeld (1714—1772), Arzt in Weissenstein und Karlsbad, später in Wien. Gurlt-Hirsch V, 496.

melius pergo et VI. tomi pars magna absoluta est, qua de digestionem agitur.

Gouani Floram Monspeliensem possum Tibi mittere. Ter possideo. Minus placet quam Gerardi, etsi et haec non respondit expectationi, in adeo beata regione et parum percursa. Nam Gardelli opus pene est repetitio Magentiani.

Mei homines asperrimas Alpes adierunt, retulerunt parum boni. Et tamen hae Alpes ad favonium v<en>t<um> inclinatae promittunt stirpes Italiae Baldique.

A Burmanno botanico fasciculum exspecto.

Seligmannus Orchidum sat bonas icones misit, sed una tabulas, quas adeo non poterit emendare.

Vale, Gesnere optime, et me ut soles ama. Die 19. Sept. 1762.

263.

(259).

Remisi ad Te, Gesnere ornatissime, Comment. Petropolitanos et nescio quae addidi. Gouanum sensim misi ante 14 dies. Antiquissima nostra amicitia mihi maximae est consolationi inter Albinorum, Haeniorum convitia. Est argumento non esse mihi animum ad amicitiam inidoneum.

Mitto catalogum desideratorum.

Nunquam ambitio me de patria depellet. Sed vereor omnibus computatis ne sit mihi parce ad alendum senium penus. Pueri sunt instituendi, sunt puellae. Mediocre fuit Rupense beneficium, neque ejusmodi occasionibus satis novi uti. Dominus providebit.

Inter alienos labores et reformanda infinita vitia administrationis Aquilegiensis et repellendas monachorum Agaunensium usurpationes sensim pergunt opera mea. Subinde misero anatomen comparatam, cum alia non datur.

Multum legi Bonneti *Considérations sur les corps organisés*<sup>1)</sup>, profundum opus pro causa evolutionis, in quo Buffoniana illa delentur. Misit Allione aliquas plantas, in quibus tabulae sunt plantarum multae omnino et grandis operis. Habet, ni fallor, sculptorem, qui ipse Alpes circumiit plantasque sculpsit.

Advenerunt Nova Gottingensia ab a. 1760. Incipio obliviosus fieri. Suntne Tua? nam advenerunt duplicia.

Rogo etiam ut velis iterum quatuor uncias extracti cicutae curare ad filium meum in pil. gr. 11 factas inscribendo 20 des Tageš zu nehmen.

1) Charles Bonnet, *Considérations sur les corps organisés, où l'on traite de leur origine de leur développement et de leur reproduction.* Amsterdam 1762. 8. 2 vol.

Vale, optime Gesnere, et me porro ut soles ama. Rupe die 29. Nov. 1762.

264. (260).

Carissime suas res vendit Schaefferus, sed ferendum est.

Numerabit Cl. Schulthessius quae erogasti.

Id in Haenio abominabile, quod Dei nomine et pietatis praetextu suam invidiam velat. Id vidi ex Prologo lectionum a. 1761, quo nihil violentius excogitari poterat, psalmis mistum et de Divino auxilio invocationibus.

Grata quae vis advenient.

Historia Grebeliana nimium adlicit oculos. Mirantur juvenum libello opus fuisse, ut de ea iniquitate cognosceretur.

De Tui adfinis obitu illubenter audivi, sunt mihi quicumque Tibi cari sunt.

Nos bene valemus per hiemem satis frigidam. Plurimum ubique est febrium putridarum, peripneumonicarum etc.

Placeret Tibi extr. cicutae alteram similem dosin ad filium meum mittere.

Vix quidquam legi: obrutus laboribus ex provincia gubernanda natis. Ecce unicum: Ipsi subditi eorumque magistratus municipales ita in publicum grassantur, ut Ollon magnus quidem vicus in reprimendo Rhodano quotannis 40.000 flor. parvos 4 baz. insumant, cum 4000 sufficerent. Ita praedia sui redditus 50/100 contribuent ad hanc imaginariam impensam. In ea nunc iniquitate reprimenda et rebus ad statum integritatis reducendis laboro.

Alterum: Abbas S. Mauritii, iniquissimus vasallus, omnibus modis jura principis invadit et, ridiculum pene dictu, nisi triste esset, ipse sylvas ad alendas salis fodinas necessarias banno damnavit, nempe vetuit caedi, cum tamen in gubernio Aquilegiensi sitae sub imperio sint reipublicae. His omnibus technis est resistendum. Praeterea latrones varios in carceribus teneo, quorum causa proxime desinitur.

Quare praeter Physiologiam et paucos libros omnia jacent.

Linnaeus filius edit Decades plantarum rariorum horti Upsaliensis<sup>1)</sup>.

Vale, Gesnere praestantissime, et me ut soles ama. Die 3. Januar. 1763.

His diebus mitto Opuscula dudum impensa Tuo et aliorum amicorum illustri nomini inscripta, tum duo systemata tabb. pro exemplis, quae puto accepisti et alia 2 pro Ludwigio ad Tho-

1) Die erste Decade erschien 1762, die zweite 1763. BB II, 519.



mannum danda et pro Morgagno, haec quantum fieri potest meo sumtu curanda per Cl. Schulthesium ad filium Weber Bergami.

Haec voces per errorem Tuis literis adjectae ad filium pertinebant.

(Auf einem losen Zettel:)

Accipio, quando haec jam scripta fuerant, Eisfeldi catalogum universalem. Erit frons aliquantum induranda, ut hunc centunculum Tibi mandem, nec per alium fiat; duplas accipiam dispuat., scripsi in peculiari ut vides folio.

265.

(261).

Nunc tandem video cur adeo insano pretio mihi constant Schaefferi Fungi. Duo exemplaria mittit pro unico, quod quare faciat non quidem ego intelligo. Velis, amice clarissime, ad eum rescribas, ut vitium corrigat, porro mittat unicum exemplum, pro altero nummos reddat, quod ego quo volet loco deponam. Non sunt eae mihi divitiae, ut tam carum opus bis velim emisse. Comendabo tamen si placebit Allionio, forte emturo, sed rem velim cum Schaeffero tamen liquidam. Ob laborum vim et paritatem otii nondum adtenderam, cum vero vellem compingere Cent. I.

Inde scripserunt concordiam imperatoris intercessionem inter S. et Hamburgium esse restitutam.

Undique taedia et labores in me convolant. Inter priora est jactura manuscripti Gottingam jam 1761 missi, quo 75 articuli pro Götting. Anzeig. continentur. Labores gubernii increverunt cum latronum numero et morbo et absentia secretarii et adjutorum. Dabit Deus his quoque finem.

Physiologiam Gallice reddit M. Paul, idem qui duo capita Swietenii edidit. In ea ut licet versor, utique lentius. Tomus V. versus nundinas paschales paratus erit.

Accepi fasciculum Suecicum, Linnaeana pluscula, quae communicabo, nisi habes, nempe disputationes majoris nihil momenti. Laborat audio in speciebus, immenso certe labore, cui satis par foret per opportunitates, nisi pervicaciam ei adderet opinio de suo principatu in re herbaria.

Tomus 1757 Ac. Scient. inanissimus est. Utinam meliores fuerint qui sequentur, gratus tamen est serviturus sceletio. Etiam in longa illa aortae descriptione 1756 nihil est a Monroanis aut meis diversum nisi error, membranam infimam petrefieri. Petrefactio est inter eam et musculosam, nisi intima rupta fuerit, quod equidem frequens est. Misit puto filius aliquid ad Cranz, et

Willichii olim amicissimi botanici habeo duplicia exempla 150 tabb. fungorum.

Literas ad Gmelinum commode quaeso trade postae.

Vale, vir optime, et me ut soles ama. Rupe die 11. Febr. 1763.

266.

(262).

De scriptis ad Trewium literis gratias ago, Gesnere clarissime. Male me ea res habet, et damnum foret irreparabile.

Ad Allionium de Fungis scribam, forte acceptabit, aut Somisius bibliothecarius regius. Neutrum si acciderit, remittam.

Linnaeanas 3 disputationes misi, sequentur aliae.

Etiam nunc novus hiemis paroxysmus satis acris nos ingruit. Gratus erit Comm. Petr. T. VII.

Cur non miserim auctarium III. valde ignoro. Mittatur sine dubio. Prodibit tamen hac aestate T. V St<irpium> Helv<eticarum>. Exemplaria addam 20 catal. rar. Nam non ultra 100 sunt impressi meo sumtu. Abibunt haec Bernam his diebus.

Accepi pulchrum opus Linnaei jun.

Transactiones non valde placent, ut nec Comm. Parisina.

Misi Lutetiam historiam morbi epidemici, cui curando praefui. Nunc iterum aliis locis saevit atrocior, verus morbus malignus, saepe intra 24 horas funestus, sub larva pleuritidis<sup>1)</sup>.

Nunc labores meos civiles spero fore laeviores. Ferae enim supervenerunt. Redibo ad plantas et pro amicis decerpam quod non potui exeunte autumno.

Morgagnus ad me scripsit, dedicavit opusculorum suorum to-  
mum<sup>2)</sup>, alius ab Albino homo, etsi saepius ab eo dissensi. Si posses per nostrum Schulthesium facere ut id opus, quod eo mittetur a Pasta medico Bergamensi, repeteretur Mediolani a Galeozzi bibliopola, gratum fieret apprime.

Hudsonus Floram suam Britannicam misit: nondum advenit.

Agitur nunc mecum, ut Bernae maneam, praebeam me negotiis publicis, emam domum, forte et praedium. Ita aeternum erit valedicendum literis. Urgent liberi<sup>3)</sup>, quorum nunc septimus signifer in legionem de Diesbach abit: quarta filia<sup>4)</sup> ut videtur nubet.

1) Historia morbi maligni epidemici, erschien in den Mém. de l'Académie des Sciences 1763.

2) Der erste Teil der „Opuscula miscellanea“ war Haller gewidmet. Die Opuscula erschienen in Venedig 1763 fol. BA II, 37.

3) Über die Art, wie Hallers Söhne ihn drängten, in der Schweiz zu bleiben s. Hirzel I, 406 ff.

4) Sophie Charlotte Haller, sie heiratete später den Bankier Ludwig Zeerleder. Ischer 1909, 197.

Vale, Cl. Gesnere, et me ut soles ama. Die 4. April. 1763.  
Hodie libelli illi ad Te abierunt.

267.

(263).

Quae amicissima mente scripsisti, Gesnere suavissime, ea de Tuo in me summe benevolo animo testantur<sup>1)</sup>. Caeterum res ipsa nondum ita firme constituta est, neque omnino a me pendet. Alimenta senio meo sunt quaerenda: ea si Patria negaverit, cogar extra quaerere. Animus quidem ad Patriam totus dirigitur. Gottingenses me urgent, urgebunt equidem magis, postquam Roedererus obiit. Buttnerus vero Berolinensis, botanicus, non dicitur ad rem academicam animum adplicare. Denique neque de filia certum est, etiam si aliquae sunt propositae conditiones.

Scripsi ad Trewium, rogavi ut icones sculptori alteri tradantur. De labore Tuo gratus sum, quem in his evolvendis cepisti.

Habeo plenum nunc Oederi fasciculum I., qui ad Te propediem perveniet cum Physiologiae T. V., qui lente quidem tamen sensim de prelo serpit. Duo tantum folia excudenda supersunt.

Fleraque quae dicis Anglica habeo.

Nihil est properando opus in opere Morgagniano accersendo. Vix credo prodiisse.

Semper ab officio retardor ne plantas evolvam. Accedam tamen. Misit du Hamelius elementa agriculturae<sup>2)</sup>, sed vix ad legendum adspero. Dissecui nuper oculos valvulasque coli variorum animalium.

Catalogus arborum Helvetiae tandem inter nostra Oeconomica<sup>3)</sup> prodiit. Gouanus promittit plantas se misisse, videtur homo non ingratus. Oederus queritur de moris sui operis, inter quas illuminationem nimis frequenem numerat. Cum Linnaeo in litem incidit, cujus Species et Faunam curandum est ut habeamus. Desidero etiam Hudsoni Floram dudum missam.

Spero me filii (cujus vexillum etiam suspensum est) praeceptorem [me] in Vallem Tellinam missurum, multum ab ea regione sperans, quae oleas alat.

Jacquinum<sup>4)</sup> miror adeo audacem in carpendo, qui Scheuch-

1) Epist. V, 139.

2) *Éléments d'agriculture*, 2 vol.

3) *In den Sammlungen der ökonomischen Gesellschaft in Bern*.

4) Nicolas Joseph Jacquin (1727—1817), Arzt und besonders Botaniker. Er reiste im Auftrag des Kaisers Franz I. nach Westindien, um Pflanzen für die kaiserlichen Gärten zu holen. Nach seiner Rückkehr 1759 wurde er Professor der Chemie in Schemnitz, später Professor der Chemie und Botanik in Wien. Gurlt-Hirsch III, 368.

zeriama Phalangio Alp. distinguere non novit, plantas fructu adeo dissimiles, et ejus modi catalogi absque synonymo usu omni carent, cum nomina specifica a Linnaeo in singulis editionibus mutantur.

Vale, Gesnere optime, et me ut soles ama. Die 22. April. 1763 Rupe.

268.

(264).

Has Tibi reddet, Gesnere amicissime, Dickius filii mei informator, theol. stud., sed insigni amore botanices animatus. Eum sumtu meo mitto Chiavennam et Vallem Tellinam, multa ab ea beata valle sperans, in qua tribus fere septimanis habitabit. Nunc a Te pro nostra amicitia peto, ut velis ei curare ad proceres Rhaetiae literas commendatorias, quibus possit in regione non semper optime morata tutus vivere suisque vacare excursionibus. Sic etiam beneficii loco foret, si praecipue aliquis mercator vellet eum Chiavennam, Morbegerium, Teglium aut Tiranum commendare mercatori. Nihil hic faciendum est sumtuum, tantum ut hospitium tutum et viae duces honestos indicare velint. Ea de re etiam Ampl. Schulthesium rogari jussi.

Narrabit ipse Dickius, ut aliis curis distractus meas res measque amores pene cogar deserere. Nimium me oneravi gubernio Aquilegiensi, in eo felix, quod ante hiemem sit exspiraturum.

T. II. III. IV. Hilliani operis advenit dono datum: plantas etiam a D. Gouan et Hudson habui. D. de Saussure<sup>1)</sup> novum, nulli simile genus Sisymbrii, Turritidibus paulum adfines detexit, foliis lucidis dentatis, dentibus solis ciliatis, fere Carduo similibus, quem pictam dedi.

Physiologiae T. V. ex prelo prodiit, quod propediem cum plantis mittam, in iis enim conferendis laboro et excerptis. Est tamen quotannis quoddam spicilegium. Commode factum est, ut Struvius<sup>2)</sup> pharmacopoeus theae febricitae novam a me petit formulam. Qui pro ea Millefolium odoratum et Absinthium Genipi legunt, herbulas ex summis Alpibus subinde novas adferunt.

Si scirem titulum heredum Seligmanniorum, ad eos scriberem. Nam Trewius ut solet de iconibus non respondet. Si pergunt sculperem, iis darem sculpendas. Cranzius promisit Austriacas aliquas, et Regina Sueciae insignem fasciculum misit, quem nondum accepi.

Vale, Gesnere suavissime, et me ut soles ama. Roche die 24. Maj. 1763.

1) Horace Bénédicte de Saussure (1740—1799), der Genfer Naturforscher und Staatsmann. Poggendorff II, 755.

2) Apotheker in Görlitz.

269.

(265).

Cum nunc maxime stirpes pro amicis seligam, distuli utique mittere et in unum fasciculum conjiciam Physiologiae T. V. Tibi Morgagno et Ludwigo et Planco, plantas, Oederum nigro colore pictum.

Hilli T. II. III. IV. advenerunt. Est integrum systema, Syngenesia in his 4 tomis habetur, generibus omnibus fere novis, figuris numerosis, etsi non omnes species exprimentur, multis tamen et raris. Accuratius legam. Erunt 27 T. in folio, quibus totum systema continebitur. Ordo fere qui Pontederæ per numerum et regularitatem petalorum, malus ut vides et minime naturalis. Innumera genera nova. Nomen unicum et triviale, quod valde incommodum est. Icones neque optimæ neque pessimæ ad plantas ipsas factæ.

Lausannæ abfui in Synodo. A rege vehementer urgeor, et nescio fere ut possim resistere, siquidem patria mea tantis conditionibus nihil opponit, ego vero non earum sim opum, ut absque aliqua accessione cum familia queam vivere. Cathedram puto nullam in me recipiam, sed cum Societate Regia inter experimenta pergam consensescere. Non irascor civibus. Sunt cuique genti sui mores, sua praejudicia, neque patriæ perinde, ut Academiae alicui, potero utilis esse, non certe in hac mea statione.

Nihil valde novi plantis accessit. Misit siccas optimus Gouan, non inutiles.

(Später geschrieben:)

Nunc alias Tuas accepi.

Certe vix poteris carere Hilliano opere. Habet enim plurimas icones, omnes novas, genera numerosa, quae oportebit comparare, plantas minime vulgares.

Accepi hodie urgentes literas Munchhusii, regis jussu scriptas. Etsi invitus patriam desero meque in novos inmergo labores, video tamen, et omnia indicant, esse mihi favendum vocationi. Repugnabo tamen ut potero. Non possum vero ob multas rationes indignationi regis me exponere.

Vale, vir optime, et me ut soles ama. Roche 19. Jun. 1763.

270.

(266).

Magnum fasciculum accipies, Gesnere optime. Eo continebuntur

1. plantae et Oederus et Physiol. T. V. Tibi destinatus et Schaefferus
2. fasciculus pro Morgagno, quem socer Cl. mei filii curabit
3. exemplum Physiol. V. pro Ludwigo
4. aliud pro Trewio

quae Tuæ amicae curae commendo.

Cuperem videre catalogos Vestros und den Meß catalogum.

Accepi Koelreuteri scriptum.

Hillium legi. Ob icones ad naturam factas numerosissimas nemo fere poterit carere. Caeterum nondum accuratam tenet stirpium notitiam. Bidens persicae f. quater ab eo variis cum nominibus delineatur. A Dickio nihil audivi. Proxime aliqui homines a me missi iter facient a Viega Valesiae in Italiam per altissimum M. Glacialem, quem per sex horas ut audio transibunt, spero in hac ferissima et altissima regione aliquid detecturos.

Colchicum puto vires habere Scyllae.

Etiam ex Anglia a rege accepi de meo reditu sollicitationes. Nunc quidem dum Rupe ero, nihil potest fieri ejusmodi. Quando tempus erit elapsum, utraque causa erit perpendenda. Mihi ut facile video praestat in Academiam reverti, familiae, ut Bernae vivam.

Ita vale et me ut soles ama. Roche die 4. Jul. 1763.

271.

(267).

Quae indicavi ea dudum Bernam profecta sunt, sed lente procedunt, imprimis Viviscum.

Ex catalogis Vestris, potissimum ex Bergeriano, libros aliquos decerpsi, quos quaeso mittes. Adde officiis Tuis humanissimis daß deutsche papier planieren zu lassen, und alles in Leder zu binden.

Cogor a Rupe Bernam omnia mittere ad 26 leucas, ut glutinentur. Podagrae insultum percipio satis vehementem, insolito tempore. Multum laboravi et taediosis saepe in rebus.

Gottingenses ad annum sequentem remisi.

Accepi Venetiis diarium Orteschii mihi inscriptum Giornale di Medicina<sup>1)</sup> et nonnulla practica.

Homines aliqui nunc maxime in ferissimis montibus inter Viega Valesiae et Italiam sunt profecti, spero ab iis aliquid. Princeps ex itinere Rhaetico est nova Saxifragia, pungens.

Plantas a regina Sueciae tardo accepi. Sunt septentrionales, quarum nonnullis carebam, aliae sunt nostratum similes.

Vale et me ut soles ama. Rupe die 18. Jul. 1763.

272.

(268).

Fasciculus in quo erant Tibi destinata, Gesnere celeberrime, dudum Viviscum a me missus est. Eum nunc urgeo, ne moram

1) Das Giornale di medicina, herausgegeben von Pietro Orteschi, erschien in Venedig von 1763—74. Gurlt-Hirsch IV, 439.

agat. Reperit Dickius Saxifragiam Burserianam, Violam laciniatam, Angelicam, Libium purpuro croceum, Jasminium, Imperatoriam veram, Ranunculum rutaefolium, aliqua alia. Inde mei sylvarum custodes redierunt ex M. Sylvio, ferocissimo, et glaciali, quem superarunt, perque vallem Tornanche et Augustam et Bernhardum redierunt. Repererunt Lychnidem Pyrenaicam a me pictam, Asterem luteum grandiflorum, Linariam illam, meram varietatem, Erucam Tanacetifoliae f. abunde, Hesperidem siliquis strictissimis.

Nunc Coppetus V. D. M. hodie in Alpes Penninas abiit [hodie], estque spes aliquid effecturum. Chirurgus Ricou etiam per vallem de Lie ibit in confinia maximorum montium glacialium.

Me a 3 septimanis podagra retinet.

Misit nescio quis hortulani Meeze 2 opuscula. In priori de Syngenesia multa in Linnaeo carpsit. In altero tentat methodum, in qua ante florescentiam ex cotyledonibus plantae distinguuntur<sup>1)</sup>.

Cista plantarum septentrionalium a regina Sueciae ad me venit. Nondum potui satis evolvere.

Persicaria abundat circa Alpes Grajas: est montana racemosa Bocconi et Allioni.

Titulum operis Lyonsi averem scire et Jacquini.

Haenii virulentia in ipsum recidit. Vidi ex literis Swietenii, archiatrorum comitem archiatro non favere. Acerbiam oderunt Austriaci. Ego pergo in opere meo et sum in generationis organis. Pullos etiam iterum, ut aliqua in ossibus, sed imprimis membranas et earum vasa addam. Allantoideam non videntur veram habere. Vasa puto me invenisse, per quae albumen in vitellum venit, recta radiata, eleganter in circulum vitelli vasculosum inserta.

Rediit nescio quis Gottinga et miserum statum regionis describit, potissimum etiam enormia pretia rerum. Multum nunc frumentum superat pretium nostrum, quod fuerat subtripulum nostri.

Bonnetus contra atheos opus parat, Saussurius detexit Genevae Cucubalum et Oxyn luteam.

Audio quintum T. Hillii prodiisse, Aggregatas. Rapidissime in opere pergit, nimis rapide. Multae icones fere eas referunt, quae sunt in horto Eystettensi. Aliae melius. Hudsonus multa promittit. Mirum Sueciam adeo negligi, quae Norvegiam fere referret.

Redierunt iterum homines ex Alpinis, nihi valde retulerunt praeter illam Tanacetifoliae f. Erucam abunde repertam et Myosotin

1) David Meese in Franeker: Het XIX classe van de genera plantarum van Linnaeus syngenesia genaant verklaart en vermerdeert, Leeuwarden 1761. 8. — Plantarum rudimenta seu methodus ducta ex differentia seminum, Cotyledonum. Leeuward 1763. 4. BB II, 493.

Alp. aliam a tomentosa et angustif., eandem quam pingit Oederus, petalo parum fisso.

Oederus misit tabulas fasciculi II. non penitus plenas. Eas Tibi servo. Primum puto Te accepisse. Intercedunt plusculae plantae mihi ignotae.

Inter stirpes a regina Sueciae missas est una et altera utiliter missa, ut Barba hirsuta, a nostra Alp. diversissima et septentrioni propria.

Morgagni plenissimam collectionem accepi, in qua omnia habes, quae fere unquam dixit vel scripsit.

Festucam junceo f. abunde reperi et Xanthium.

Vale, ampliss. Gesnere, et me ut soles ama. Rupe 7. Aug. 1763.

273.

(269).

Si damnum passae sunt tabulae Schaefferi, etsi culpa factum est auctoris non desiderata mittentis, tamen meo exemplo id supplebo quod corruptum erit.

Ubinam locorum est M. Valdesch?

Etiam nunc in Alpes glaciales circa Chamouny tres venatores meos in usus iverunt. Videntur autem plantarum suppetiae paulatim exhaustae. Meeze hortulanus Leeuwardiensis aut Franckeranus hos libellos scripsit.

Etiam ego emeram opus Lyonneti, petam ab eo.

Opportunitate data non recuso Linnaei jun. tabulas videre.

Bene est quod majori malo caruistis. Hic etiam in stabulo meo bos ex lingua laboravit, absque malo. Neque audio in gubernio periisse quidquam.

Erica est varietas vulgaris ramis se ad florescentiam parantibus, bina foliis laxioribus.

Nullum nobis est Sphagnum caulinum.

Accepi, vir Cl., quae indicasti.

Misit Sauvagius suum opus pathologicum 5 non exiguis voluminibus <sup>1)</sup>.

Contra inoculationem scripsit Rastius <sup>2)</sup>.

Valde laboro in Physiologia. Cupio a pigerrimo homine jus impressionis ad Societatem Bernensem transferre. Nam ille penitus

<sup>1)</sup> Die Pathologia methodica seu de cognoscendis morbis erschien in dritter Auflage in Lyon 1759. Stark erweitert erschien sie unter dem Titel Nosologia methodica sistens morborum classes juxta Sydenhami mentem et botanicorum ordinem. Genf 1763. 8. 5 Bde u. a.

<sup>2)</sup> Jean-Baptiste Antoine Rast-Maupas (1732—1810): Sur l'inoculation de la petite vérole. Lyon 1763. Gurlt-Hirsch IV, 673.



interit. Videtur tamen diversitas esse inter Napellum vulgarem et judenbergensem. Illi simplex spica cylindrica, huic ramosa. Duas etiam nunc Delphinii varietates habeo, nectariis albis flore azureo, et nigris, flore magis saturato, quales etiam habent in Sibiria.

Multum semper mihi ex administratione incumbit laboris. Neque valetudo plena est. Valde inclino in catarrhos per noctem incommodos. Scribit Tissotus se accepisse Collinum de miliari, Locher de aceti usu Tiguri. Si fieri potest, fac quaeso ut habeam.

Tu qui ab omnibus bonis amaris, possis forte mihi consilio Tuo multum [mihi] prodesse. Emo ingentem satis villam, ut possim Anglicos meos nummos deponere. Sed curtior mihi supellex est, desunt 4000 imp. s. floreni 6000. Possetne ex summa leviori franc apud vos inveniri? Villa 70,000 est pretio, nullum adeo a me periculum, dabo etiam praedia. Magno mihi esset levamento si triunce possem sumere, vel certe triunce cum semisse ( $3\frac{1}{2}$  per £t.). Nihil impono, nisi aliquam cum amicis nummatis confabulationem. Subito omnia mea, quae in Anglicis imprimis fundis deposita sunt, utiliter possim elocare.

Literas has Tibi opportunitate data commendo.

Vale et me porro ama. Roche die 2. Sept. 1763.

274.

(270).

Accepi et perlegam, optime Gesnere, quae misisti, abfui ut villam Goumoens inviserem, res necdum liquet.

Nihil est quod oneraris de 6000 fl., eos inveni in patria, equidem foenore 4.

Physiologiae jura transierunt ad typographum Bernensem, cum nimis impedita sint omnia Lausannae: Itaque paulo breviori tempore absolventur omnia<sup>1)</sup>.

Hilli V. T. prodiit, scripsit se continuaturum. Sed Allionii Flora Pedemontana differtur. Pictore utitur, quem in Alpes mittit.

Aliqua in pullis meis emendavi, ut Allantoidem, quae nulla est. Vesica, quae ejus est similis, paulatim crescit et est omnino vasculosa ovo instita. Ad vitellum pertinet figura venosa, quae prima in nascente embryone adparet. Reliqua confirmavi, maxime pelluciditatem quae visura primis temporibus in conspicua reddit, etiam ventriculorum et intestina.

Accepi paucula ex Anglia, lites inter Hunterum et Monroum continuatas<sup>2)</sup>.

Plantarum tempora finita sunt.

1) Der 6. bis 8. Band erschien in Bern bei der Typographischen Gesellschaft.

2) S. BA II, 363 und 499.

Porro anno proximo aptis utar hominibus, ut per summas Alpes discurrant, imprimis inter Valesiam et Italiam.

De reliquis libris catalogum Vestratium exspecto.

Occupor in legibus gubernii Aquilegiensis revidendis, ut publica auctoritate sanciantur, quae hactenus defuit, ut nullo certo jure causae hic regerentur.

Cl. Andreae<sup>1)</sup> nobiscum fuit et multa grata auditu de Hannoveranis amicis retulit, qui nempe pauci supersunt. Nam plerique et imprimis Hugones patruus et nepos, dum Bernae vivo, vivendi finem fecerunt, tum J. Sam. de Berger et tot alii.

Vale, amicissime Gesnere, et porro me ama. Roche die 4. Oct. 1763.

275.

(271).

Exstat Collini epistola de febribus miliaribus<sup>2)</sup>, Leberi nescio quid, quod non vidi. Literae ex Suecia nuntiant primum tantum specimen et adventantem fasciculum, silent de Speciebus.

Ecce notam desideratarum dissertationum. Duplas sume pro amicis Italis. Pretium Muschenbroeckiani operis facit, ut te rogem, velis rationes meas mihi mittere, ut aere Tuo me solvam.

Hac septimana novus gubernator adventat. Erit mihi laborum magnum compendium. In libros fere legendos jactura temporis incidit. In Physiologia nunc imprimenda pergitur, et ego difficilem viam lego per arcana generationis.

Hillius scripsit tomum V. prodiisse, Buteum comitem curasse, ut possit amicis exempla mittere. Ejus esse in ipso opere partes aliquas. Adansonium urgeo, accepi nondum, nec fere quidquam prodiit memoria dignum, si forte Sauvaggi Pathologiam excipias.

Plantarum collectioni finis est impositus. Anno proximo Alpes inter Sempronium et Sylvium M. curabo perlegi, quae sunt ex altissimis. Venator retulit, altiorem esse Sylvium, quam aut jugum Wormianum aut Septimum M. Grassetus qui emerat libros Daranii, proscriptus est edicto publico. Doleo etiam ob Querium, quem mihi emerat, et quem nescio ut sim mihi curaturus. Est tamen alicujus momenti opus.

Proximum est ut emam eam villam. Non erit apta rusticationi, unice nummis inde legendis.

Ita vale et me ut soles ama. Rupe 25. Oct. 1763.

1) Joh. Gerhard Reinhard Andreae (1724—1793), Apotheker in Hannover. ADB I, 447.

2) Heinr. Jos. Collin. Epistola ad Baldingerum, qua demonstratur pustulas miliares male a quibusdam medicis fact. et sympt. dici. Vindobonae 1764.

276.

(272).

Audio, amice optime, dissertationes ad filium meum pervenisse, quas pro Tua humanitate curasti. Addere oportet 1.55 meo nomini.

Accepi totum fasciculum Oederi 2. Si omnino non vis exiguum donum accipere, numerabis ut placebit duos fasciculos. Nam secundum continuo curabo.

Pars operis Linnaeani prodiit, nam queritur de eo Oederus in praefatione. Continuationes Gottingensium diariorum Tibi non imputo, plurimorum facis sumtum in meis fasciculis, quos nusquam rependo.

Physiologia mea nunc accurate continuatur. Si ita pergit, non dubito, poterit anno 1765 tota de prelo prodire. Interim praegnantia animalia incido, ut mirum illud phaenomenon diluam, non ante 17. diem in ovo fetum adparere.

Adansonium exspecto, audio enim prodiisse: est antisystematicus ni fallor, fere ut Oederus. Ejus Alsinen non dudum ex Alpibus Sylviis habui, non prius visam. Diversissima est a Myosotide Alpina utraque.

Denique adquisivi Goumoens le Jux Eclagnens satis caro pretio. Et tamen negant me nummos melius potuisse locare. Locus non est calidus, montani quid habet ad frumenta eximii. Medio loco penitus inter Ebrodunum et Lausannam, et per eum ipsum pagum transivimus una, quem non credebam meum fore.

Valde sollicitant Hannoverani.

Zimmermannus suo dolori dedit libro integro in Vätterlinum<sup>1)</sup> inveni, in quem id honoris non videbatur cadere.

Schäfferus<sup>2)</sup> iterum edidit Afterjüngferchen, Weichschaliger Käfer, quae emere oportet, sed systema differre decebit, quod Linnaeo cum se ipso paulo melius conveniat.

Ludwigius promittit horti catalogum. Video eum non accepisse Opera mea minora. Quare Oederianis volumen addam ipsi destinatum, quod reddes si placet D. Thomann, qui ejus rerum curam gerit.

Vale, vir celeberrime, et me porro ut soles ama. Roche die 6. Dec. 1763.

Remitto hunc catalogum, ut suppleat desiderata Eisfeldius.

1) Arzt in Brugg, Zimmermanns Rivale bei der Bewerbung um das Physikat und seither sein Gegner. Ischer 1908, S. 163.

2) Der Naturforscher Jak. Christian Schaeffer (1718—1790): Das Zwiefalter- oder Afterjüngferchen, Regensb. 1763, Der weichschalige Kronen- oder Käulen- käfer, Regensb. 1762.

277.

(273).

Aliquos libros designavi, quos mihi ut cures quaeso, et glutinari jubeas. Linnaeum emerem, etsi caro venalem, sed adhuc ab alio typographo jam mandatam spero.

Nimis ampla villa est et paulo fortunis meis major. Erant in Anglia nomina quae minus placebant. Vocantur mei paguli Goumoens le Jux et Eclagnens: in isto sola feuda mea sunt et decimae et bodenzinje.

Advenit Brookes Natural history<sup>1)</sup>, parvi momenti opus 6 vol., si placet videre misero. Hillii opus (puto ex lapsu Butii) et ipsum cadit. Recte judicas, quod Schaeffero scribis non mihi id esse otii. Recedam ad eum laborem anno si Deo placet 1765, prius non possum. Incido animalia praegnantia, versor in difficillimo negotio generationis et nutritionis: festino ut otio Rupensi fruam.

Plancus misit alterum exemplum Tozzii<sup>2)</sup>, quod Tibi ni habeas destino. Morgagnus aliqua parvi momenti misit. Caldanus proximo vere sperat cathedram se conscensurum. Edit interim in Le Catium Epistolam de re irritabili. Molinellius<sup>3)</sup> ei est adjutor, ejus praeceptor.

Plantas misit Hudsonus et verum Ray grass suum. Si aliquot uncias cupis, mittam. Non probat Timothy grass (Typhimum maximum), hoc laudat. Etiam Collinson aliqua misit, Gardeniae descriptionem sensim editam etc. Dicunt inficetas esse imagines poeticas, quas nescio quis apud vos dedit, forte injustum est judicium. Vistine eas nugas? Parisini videntur ad inoculationem inclinare.

Vale et me ut soles ama. Rupe die 27. Dec. 1763.

P. S. Morgagnus queritur de sumtibus sibi factis in mittendo Tomo V. Physiologiae, quem volebam liberum bono seni curare. Pete si placet a D. Schulthes, velit per amicos Andreae Pastae medico Bergami sumtus meis fasciculis a Morgagno missis rependere. Ego hic nomen liberabo. Iterum vale.

278.

(274).

Si adhuc venales sunt Linnaei species, Gesnere optime, rogo ut eas mihi emas. Genevensis mercator earum est oblitus, tum aliarum quae mandaveram.

1) R. Brooke, Natural history of vegetables as well foreign as indigenous. London 1763. BB II, 230.

2) Die Biographie des Abtes Bruno Tozzi. BB II, 334.

3) Pietro Paola Molinelli (1702—1764), Professor der operativen Chirurgie in Bologna. Gurli-Hirsch IV, 260.

Calidi austrinique venti cum aliqua pluvia die 31. torrentes nostros inflarunt solitis nivibus, non sine damno incolarum. Accurri, ut salinis Aquilegiensibus prospicerem, incredibilem vidi torrentis furorem. Nobis nihil nocuit.

Schmidtus, qui Aegyptiaca praemia retulit, Durlacium abit, restituta nobilitate usurus.

Vidi versiculos et burla poetarum. Illi his meliores.

Vale et me ut soles ama. Rupe die 3. Jan. 1764.

279.

(276).

Pro transmissis gratias ago, Gesnere clarissime. Linnaei exemplum vellem mihi accerserent bibliopolae.

Imagines nugae sunt.

Mittam Brookes, etsi parvi momenti est.

Parisiis inoculatio est sub iudice. Ridiculum satis in ea regione velle de remedio statuere, in quo exiguam ejus habent experientiam<sup>1)</sup>.

Multum semper facessunt laboris varia quae ad emtionem villae pertinent. Exspecto Parisiis volumen 1761 et IV. vol. exterorum, sequitur 1762, sed desideratur 1758.

Nescio num scripserim Vitalianum Donatum in mare Chinensi morte periisse. De ejus scriptis multum dubitari num quidquam possit servari. Ita Cl. Somis.

De Danis in Arabiam missis nihil accepi.

Vale et ut soles me ama. Die 20. Jan. 1764.

280.

(277).

Accepi heri, Gesnere optime, Linnaeana. Species interim dono Rosenii ad me pervenerant, quas adeo alicui possem pendere. Alias disputationes Linnaeanas etiam miserunt, quas Tibi curabo, Quassiam<sup>2)</sup>, Inseca, 100 plures alias.

Gardeniam Solander<sup>3)</sup> misit.

De Gillero nuntiavit Schobingerus.

Mittam ad Te Raygrass pro Gmelino.

Aliquantum respirabo, si quidem magnum opus Physiologiae hac ipsa septimana hactenus ad finem perduco tantum ut egeat emendatione et additamentis. Tomi 6. 7. 8. omnes erunt majoris molis. Conjecturae illae de nutritione, incremento, corruptione plurimum sibi sumserunt laboris et chartarum.

1) Über die Einführung der Variolation in den verschiedenen Ländern s. Klebs, Die Variolation im achtzehnten Jahrhundert. Gießen 1914.

2) Lignum Quassiae. 1763. 4.

3) Daniel Solander, Account of the Gardenia. London 1763. 4. BB II, 460.

Bassiam, novum genus, Tibi misit Allione. Id una mittam cum reliquis. Anglica mea nondum advenerunt. Brookes parum habet proprii.

Accepi etiam ex Suecia Neurologiam Martini<sup>1)</sup>, et Hülpherti hist. act. et vir. Dalecarliae<sup>2)</sup>, quam Rosenius laudavit.

Expecto quotidie 2 tomos Commentariorum Parisiensium, qui nuper prodierunt.

Multum distrahor varietate laborum. Vale, mi Gesnere, et me ama. Die 24. Febr. 1764.

281.

(278).

Video, Gesnere praestantissime, Te plura habere quam ego quidem de Linnaeanis. Ita nihil mitto, sed sunt hic novellae literariae, eas mittam cum Raygrass.

Gaudeo de Lamberti dignitate viri optime meriti<sup>3)</sup>.

Dalecarlica historia fere inutilis est, nisi velis nosse fodinarum redditus. Omnia enim fere oeconomica sunt absque historia naturali plantisve.

Bassi nova planta est Ambrosia.

Burmannus misit pulchras plantas, ex capite potissimum bonae sunt, Willichius aliquas ex montibus Hercynicis.

Nugas facio ad Physiologiam pertinentes, quae lentissime de prelo exit. Anno demum 1766 tomus ultimus adparebit.

Tissotus dat appendicem ad Platneri Chirurgiam Gallice edendam, dat etiam versionem Bilgueri contra necessitatem amputationum<sup>4)</sup>. Habeo etiam Nova literaria Gottingensia, quae mittam die lunae.

Vale et me porro ut soles ama. Die 16. Mart. 1764.

282.

(279).

Accepisti, Gesnere praestantissime, nova, inter quae n. 148 et 149 desunt, quos curabo. Accepi etiam tabulas Vestras bonae frugis plenas. Multos habetis phtisicos.

1) Roland Martin (1726—1788), Anatom in Stockholm: Om nervernas allmänna egenskaper i menniskans kropp jemte nervernas särskilda anatomiska beskrifning. Stockh. 1763. Gurlt-Hirsch IV, 142. BA II, 519.

2) Abraham-Abrahamson Hülphers (1734—1797), schwedischer Reisender und Archäologe: Resa igenom stora Kopparbergs hoefingdoeme och Dalarne, Westeras 1762.

3) Joh. Heinr. Lambert geb. 1730, Mathematiker und Physiker, wurde 1764 von Friedrich dem Großen in die Berliner Akademie der Wissenschaften aufgenommen. Leu, Suppl. III, 432.

4) Die berühmte Schrift „De membrorum amputatione rarissime administranda aut quasi obroganda etc.“ Gurlt-Hirsch I, 456 f.

Nardens(?) ea adtulit, cui aegre horulam dedi, adeo furebant Verseviensia. Ea die 24 et 26 Maji fere transacta sunt, ut tum die 29. demum scripta publico sint probanda. Multum mihi inde taedii et laboris [mihi] accessit, ea tamen ad regem mittuntur, quae ego paravi. Obtinuimus etiam, ne relatae a Gallis peterent nihil quidquam ipsis in augendo pago licere. Etiam post horam limam ultimam passum libellum (Memoire) senatui secreto praelegam. Quantum inde mihi actum sit odiorum, quam frigide etiam amici nostras res tueantur, non est enumerare. Patriae servio, id mihi unicum est solatium.

Tres nobiles pueri Erlachii ex inoculatione laborant. Nob. Effingerus eandem passus administrationem nihil inde sensit.

Fuslinus nunquam respondit, nihil imprimit, me pene in ordinem cogit.

Bona spero a Cl. Zieglero.

Nunc compertis rebus (nam longa erit mora quoad commendationem pagorum, et responsoriae regiae adveniant) otium aliquod spero et ad studia redibo. Aliquos homines in Valesiam misi inferiorem.

Ita vale et me porro ut soles ama. Bern. die 26. Maj. 1764.

283.

(275).

Diu absens, Gesnere carissime, Bernae haesi ob promotionem CC viralem, inde in Goumoens, denique in Beviex, ubi aliquot per dies novum quoddam in coquendo sale inventum sum speculatus. Postea adfinis meus Grunerus<sup>1)</sup> Groß Weibel cum uxore hic mecum fuit a die lunae, ita nullas praeter eas literas scribere potui, quae forent summae necessitatis.

De Koelreuteri fortuna gaudeo et Sulzeri.

Aliquantum in botanicis profui, Caucalidem latif. in Valesia reperi novam, et Chaerophyllum seminibus hispidis prope Ebrodunum in pago in quo et Atractylis crescit. Certi homines ibunt in M. Sylvium et montes qui sunt inter Valesiam et valles Italicas.

Tria secunda volumina accepi Adansonii cum uno primo. Mirificum opus. Nondum accurate legere potui, qui plurimis antiquioribus obruor. Etiam in orthographia mirus est, ingrante alioquin morem receptum Sancti sequente.

Hillius volumen Umbelliferarum edidit, sed nondum accepi. Non magnam ei fidem Angli praestant.

1) Samuel Gruner, geb. 1715, Bankier, von 1762 an Großweibel. Leu, Suppl. II, 630.

Salicis 81 Enum. III. s. persicifoliae nunquam inveni flores. An Tu, Cl. vir, vidisti unquam? Mire laboro in difficillimo genere.

Ingratissima mihi accidit historia. Magnum fragmentum Physiologiae ex T. VII. intercidit et totum periit, dum ego in Goumoens absum. Difficillima erit reparatio, cum destruam mea collectanea.

Catalogos Vestratium quaeso mitte.

Vale, vir Cl., et me ut soles ama. Roche 3. Jun. 1764.

284.

(280).

Lubens accepto, Gesnere celeberrime et amicissime, completionem in Vestram Societatem<sup>1)</sup>, et pro transmissio volumine gratias ago.

Physiologiae majoris folia fuerunt apud typographum.

Nunc desidero sensim Schinzii lit.

Mei homines sunt in M. Sylvio. Mecum est gen. Saussure, adtulit plantas aliquas, Gladiolum.

Miram historiam etiam vidi, ipsam coli valvulam.

De Fuesslino aveo discere.

Paulatim me comparo ad abitum. Hannoverani valde instant. Offerunt 2000 imp. ex regio thesauro praeter alia commoda. Valde dubito quidquam facturos meos cives. Mallem quidem ego cum meis commori, sed aedeundum est quidquid videbitur jubere divina Providentia.

Hillii T. VI. de Umbelliferis in iis valde vitiosus est quae mihi notae sunt. Nimis properat homo acris.

Caldani res in tuto sunt, queritur de M<orgagni> invidia<sup>2)</sup>. Adeo ne maximi <quidem> viri [non] possunt etiam longe sequentem aemulum ferre. Novembri mense munus Patavinum adibit.

Mitte quaeso catalogos Vestrorum.

Et vale, vir optime, atque me ut soles ama. Rupe die 10. Jul. 1764.

285.

(281).

Ecce libellos aliquos, Gesnere optime, quos desiderarem.

(Folgt ein Bücherverzeichnis.)

In Tomo II Vestrorum opusculorum deficiunt paginae, quas benevole velis addere Tuo beneficio.

De Gouano miror, ad quem plurimas plantas misi. Credo me eum tomum habere. Catalogum Heideggeri suo tempore exspecto.

1) Die ökonomisch-physikalische Gesellschaft in Zürich, deren Mitglied Haller am 14. Jan. 1764 geworden war. Rößler S. 380.

2) Epist. V, 200.



Paratum habeo II. T. Adansonii, quo familiae continentur, sed exspecto ut aliquid liceret addere fasciculo, ut *Physiol. T. VI.* aut plantas in quibus sum eligendis, ut cum amicis communicem.

Additae sunt aliquae ex summis glacialibus rupibus circa Saas Valesiae, *Geranium striatum*, *Aster similis Jacobeae lanuginosae* jam lectus abunde, *Pulsatilla nova* forte adfinis illi apif., nova *Primula rubra* diversa a vulgari. Ricou lapsu ab itinere impeditus est.

Mecum fuit D. Bellardi<sup>1)</sup>, botanicus Allioni. Habet et novum *Doronicum* certe mihi ignotum, et *Lychnidem* diversam, etsi adfinis est *quadrifidae*, et alias aliquas.

Ego quidem paro ultimum *Emendationum auctarum fasciculum*, post quem ipsa *Enumeratio* sequitur.

Interim praeparatio ad abitum necessaria me valde turbat.

Ita vale et me ut soles ama. Roche 31. Jul. 1764.

286.

(282).

Subito ad Te rescribo, Gesnere clarissime, ut ex meis desideratis si tempori est placeret novum *T. XVIII* collectionis iterum delere, quem *Vandenhoeckia* ad me mittit.

Eas condiciones in nuperis offerunt Hanoverani, ut non videam qui possim eas refutare, in tanto patriae meae erga me fastidio: de quo non queror, nam patriae multo minus quam Academiae potero inservire. Propediem Bernam repeto, et tunc de meo abitu consilia capiam firma. Summa rei haec est: *Gottingae* publice in seligendis bonis professoribus et medicis, in commendandis bene meritis, in restituenda eruditione, in inveniendis forte novis physiologiae hominibus potero prodesse: una laete et cum decore senescere. *Bernae* nihil aut parum prosum, unus inter plurimos, ex familia minus potente natus, magnatum parcus adsecla. Sed neque cum facilitate neque cum dignitate liberos sustentare possum et aegre victito, studia mea pleraque hic inutilia sunt: quis amat in magistratu plantas aut anatomen?

Interim versor in plantulis et dabo *Emendationem* ultimam. Utique novam habeo *Gentianam*, *lanuginosae adfinem*, sed diversissimam: de *Primula* minus sum certus. *Pulsatilla nova* videtur, *Orobanche violacea* etiam diversa a vulgari etc.

Iterum vale et me ama. Roche 10. Aug. 1764.

287.

(283.)

Advenerunt, Gesnere clarissime, heri libri aliqui, inter eos *Itinerum collectio T. 18.* Oportet literas ad Te non pervenisse, qui-

1) Carlo Antonio Lodovico Bellardi (1741—1826), Botaniker in Turin.

bus rogabam ne mitteretur. Nunc si nimis sero reclamo, servabo id volumen; si tempori fuerit, remittam, sumtibus liberum. Si non potest absque Tuo incommodo, culpa mea est.

Heri misi Adansonium per D. Gasser.

Desidero ex Heideggerianis:

(Folgt Bücherverzeichnis.)

Abominabilem librum Voltairius edidit, Dictionnaire Philosophique, contra Mosen, miracula etc. Genevenses flammis tradiderunt.

Commode factum est, ut Crusius archiater Russicus<sup>1)</sup> fasciculum Sibiricum cum Alpino commutaret, quem paratum habebam.

Apud me est Tissotus optimus, quem oportet audire. Vale, amice optime, et me ut soles ama. Roche 17. Aug. 1764.

Semina sunt quae Crusius promittit. Ea Tecum communicabo.

Video vetustum opus esse illos scarabeos, si placet remittam cum Florae Danicae P. III et plantis siccis.

288.

(284).

Societati Vestrae humanissimas grates meo nomine reddes, Gesnere amplissime, ajesque me magno teneri honore, quod cum viris summa laude dignis in collegium sim receptus.

Si mature mea notula advenit, spero T. XVIII. Itinerum potuisse reddi. Eum Vandenhoeckia per Curiam misit.

Aristolochia Clematidis abundat in pais de Vaud.

Itinera a me curata pluviae etiam interruperunt, quae pergunt quotidie cadere cum magno damno hujus regionis.

Selegi Tibi aliquas, quas sperarem Tibi minus displicituras.

Fasciculus alius a Hudsono advenit.

Proximo vere, si in patria maneo, accingo me ad novam editionem Enumerationis. In novis Gottingensibus auxilia eruditorum virorum inploravi. Qui certus sum, si quid est supplendum, sed est sine dubio. Valde laetor autem, quod opus meum insigni numero errorum liberare detur, qui fere ex defectu aptorum experientiorum nati sunt. Cum unicum exemplum habeam Rapunculi comosi, quod Tibi debeo, dic quaeso num vere distinctam putes esse speciem.

Pringlius<sup>2)</sup> prolixissimam voluntatem regis et reginae mihi aperuit. Eo processit ut rex voluerit epistolas legere, quas ad

1) Karl Friedrich Kruse (gest. 1799), Arzt am Admiralitätshospital und Arzt bei der kaiserlichen Leibgarde in Petersburg. Gurlt-Hirsch III, 560.

2) John Pringle (1707—1782), berühmter englischer Militärarzt, seit 1763 Leibarzt der Königin. Gurlt-Hirsch IV, 628.

Pringlium dederam. Miror meam fortunam, quae tanto faciliores mihi dedit exteros quam cives.

Novam plantam etiam nunc coram video, nullius similem, quae mihi nota sit, foliis imis pilis asperis longis fore ut in Otite caulinis plurimis oratis, flore fere Leucisi, sed fructu brevi cum praelonga tuba. Novum erit genus, non solum nova species, nam a *Thlaspi calyce calcarato*, petalis caryophyllaceis et longissima tuba differt, sic a *Lepidio*.

Gesner Rösely vult edere insecta soceri Gallica lingua. Rogat ut praefationem addem. Essent puto multa mittenda pro gustu Gallico.

Itaque vale et me ut soles ama. Bern. 1764, 24. Aug.

289.

(285).

*Adansonium* debet Tibi Hasserus adtulisse. Oederus Berna mittetur, quo misi; libros quos mittis erunt gratissimi.

De mea sorte viderit pater optimus: Bernae consilium capiam hac hieme. Non videtur in patria mihi victus suppetere pro tam ampla familia liberalis: et libri, quibus pars meae annonae nititur, non poterunt perpetuo se consequi.

Tissotus paucis mecum horis fuit a praxi urgente revocatus. Dat ad Platneri Chirurgiam Gallice vertendam additamenta.

Rapunculum legisti in *M. Elm folio bellidis*. Habet etiam I. B. De eo quaero, quem suspicor pertinere ad illum spica reticulari. Planta nova est quam nupere Octoduri invenerunt, habet calycem, petala Keiri, fructum Lepidii ovalem tetraspermum praelonga tuba. Novum genus. Nullam enim novi siliculosam cum calyce calcarato floreve caryophyllaceo Keiri. In opusculis meis versor poliendis, remoliendis, nunc in pullis, quos novos inspecio, ut aliqua emendem priorum. Libris careo Bernam missis. Gratus fuit lectu Schinzii de Vestro commercio libellus, tum reliqua, et imprimis etiam de *cicutae virtute* historia. Mihi non successit. Salinarum descriptionem magistratui nostro offero<sup>1)</sup>, quam hic per otium consignavi. Emendatio VI sub prelo est. Continet pluscula nova, sed cum anno 1765 ad Enumerationem redeo, quam totam noviter describendam et refundendam mihi sumsi, rescissis plerisque synonymis, adjectis plantis fere 300, multis correctis. Cogitavi de addendis nonnullis Germanicis, quae nobis desunt, ut esset aliquanto plenius et magis venale opus, rite tamen distinguendo nostrates.

Gouan plantas mittit, nondum acceptas: Hudsoni gramina accepi pleraque de trivio. Laete crevit *Lolium perenne* ab eo missum

1) Beschreibung der Salzwerke im Amte Aelen.

pro Raygrass. Sed fateor mihi durum videre. Knechtius Sorghum coluit, splendidam stirpem. Ego leguminosas expertus praefero, Onobrychidem pro macris, Medicam violaceam pro pinguibus pratis. Etiam lucrosior iste est aquae rectus usus <sup>1)</sup>.

Die 29. decedo Rupe, et post brevem moram in Goumoens Bernam me recipio. Doleo tempus quod mihi perit, etiam in libris ordinandis.

Ita vale, suavissime Gesnere, et me ama. Die 14. Sept. 1764.

290.

(286).

Non est, Gesnere suavissime, Alysson clypentum planta mea. Folia ei sunt glaberrima, ima ciliata oblonga, flos grandis Leu. 1: Duo exempla habeo, locum natalem ut videtur non certe novit qui invenit, est tamen circa Octodurum. Quando ad plantas meas rediero, quaeram num aliquam habeat adfinem.

Rapunculum, quem perhumaniter misisti, magis nunc persuadeor esse illum spica reticulari, humiliorem. Folia inter flores videntur descendere et de ipso gramineo vereor ut vero differat.

Germanicas stirpes facile addidero, quae mihi sunt notae Germanico nomine, pleraque fabricare oportebit, quod in multis satis erit difficile. Quamprimum librum de monstris reformavero, ad id opus transibo, in quo maxime delector.

Rupem reliqui die 29. Haec scribo in villa mea Goumoens, tristissimo caelo circumfusus et quasi incarceratus. Die 29 et 30 nix incredito spectaculo cecidit Vivisci et Lausannae, hic pluvia. Post aliquot dies Bernam me conferam.

Cancellarii splendidum munus mihi oblatum vix potero repudiare, neque spero cives meos facturos quidquam, ut me retineant, itaque proxima aestate puto me patriam mutaturum. Cum Schenkenbergae generum sim invisurus, conabor ut ultimum in rebus humanis Tibi antiquissimo et carissimo amico valedicam.

Plantas perpaucas misit Cl. Gouan.

Plurimum sum delectatus Schinziano opere <sup>2)</sup>. Non relinquerem patriam, puto, si Vester essem civis. Nobis potentiores familiae imperitant.

Vale, carissime Gesnere, et me ut soles ama. Die 1. Oct. 1764. Goumoens.

1) S. Hallers De herbis pabularibus, das 1769 in den Abh. der Gött. Ges. erschien.

2) Wahrscheinlich die Einleitung zu seiner Übersetzung von Störcks Libellus quo demonstratur Stramonium etc. .... remedia esse salutifera. BB II, 492.

